





# DE LOCO

PRO  
LOCO

*In Amplissima Facultate Philosophica*  
*Unanimi PATRUM suffragio*  
*perquam benevolè concesso*

AUSPICE ILLOCALI DEO  
Physicè & publicè differet

M. JOHANNES PASCHIUS

RACEBURGENSIS,  
Respondente

JACOBO BOETIO,

Hattersleb, Holsato.

*Ad diem* Octobr. A. R. S. M DC LXXXV.  
*In Auditorio Majori.*

B. Balthaf. Meisnerus in Philos. Sobr. part. 1. sect. III. c. 1.  
qvæst. I. pag. m. 654.

*Diffiteri non possumus intricatissimam & undiquaque*  
*dubiam esse de Loco corporis naturalis questionem, multisq; Philosophicis dif-*  
*ficultatibus irretitam, ita ut eorum opera omninò à nobis laudetur, quin*  
*& grato animo acceptetur, quam in themate hoc acutius & accura-*  
*tius tractando insumpserunt &c.*

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

AMPLISSIMÆ.  
FACULTATIS. PHILOSOPHICÆ.  
IN. ALMA. SAXONUM. ACADEMIA.  
DECANO. SPE-  
CTATISSIMO.  
SENIORI. PER QVAM.  
VENERABILI,  
CŒTERISQVE.  
PROFESSORIBUS. PUBLICIS.  
OPTIME. MERITIS.  
OPTIME. MERENTIBUS.

IDQVE.  
CELEBERRIMIS.  
VIRIS.

MAXIME. REVERENDA. DIGNITATE.  
NOBILISSIMA. AMPLITUDE.  
ET. CONSUMMATA. DOCTRINA.  
EXCELLENTISSIMIS. CLARISSIMIS.  
DOMINIS. PATRONIS. PRÆCEPTORIBUS.  
ET. PROMOTORIBUS. MEIS. INDEFESSO.  
OBSERVANTIÆ. CULTU. PERPETIM.  
COLENDIS.

HOC. SCHEDIASMA. PHYSICUM.

*sum perenni voto & pergrato animo  
offero, quia debeo*

M JO. PASCHIUS



CHRISTE velis *Physicas* caelo mihi mittere *dotes*,  
collocet ut calamus dogmata vera *Loci* !

LOCULUS I. RECONDITA DE LOCO DOGMATA APERIT.

Positio I.

*Doctrina de Loco perquam obscura & in-*  
*tricata est.*

Expositio. §. I.

**D**RO LOCO, ut vocant, Deo ita  
dirigente & unanimi PATRONORUM suf-  
fragio graviter annuente disputaturus eli-  
go tale thema, quod in *Loco* & tempestive  
meipsum admonet *Loci*. Quem si ex *nata-*  
*libus* suis feliciter & pro virili diduxero,  
me hoc dignissimo LOCO haut indignum  
putavero. Ut tamen neque ex *viro Locum*, neque ex *Loco virum*  
existimari velim. Nolo heic in prima acie ex superstitione *Lo-*  
*crensium AJACI* Heroi (a) tanquam Promacho dudum devicto  
*vacuum* relinquere *locum*, ne quis *τοπομάχων* cum *Autoleonte*  
*Crotoniate* incurabili ictu à spectro vulneretur. Neque *Israe-*  
*litarum* (b) præcipitem imitabor confidentiam, qui ex solius  
ARCÆ foederalis *castrensi* & locali *praesentia* sibi victoriam fru-  
strà pollicebantur, cum tamen *Philistaeis* & *arcam* & *palmam* sum-  
mo cum dedecore deberent. Sed cum Rege *Abijab* primum *Il-*  
*locali* DEO *locum* in *auspicali* hoc de LOCO *conflictu* piè as-  
signo atque suspiro: (c) עמנו בראש האלהים

§. II. Quod *Ebraei* proverbii loco de re difficili jactare  
solent (dd) : רלת הננעלת לנת במהרה תפתח : *Porta re-*  
*pagulata non facile aperitur.* Idem illud ego majori jure de

A 2

LO-

(a) V. *Conon Narrat* 18. apud *Phorium Cod.* 186. *Conf. Pau-*  
*san. in Laconicis lib.* 3. (b) 1. *Sam. IV. p. t.* (c) 11. *Chronic.*  
c. XIII. *vers.* 10. 12. (d) in *Bava Kama fol.* 30. col. 2.

LOCI porta dixerō, quippe quæ tot occlusa est repagulis, ne  
 de subtili & aprica ejusdem apertione ferme desperem (1) ob  
 impedita cognitionis principia, ceu sunt *Sensus & Ratio*, nam *sen-*  
*sus* heic in æstimo suo nimio opere constringitur & implicatur, quo  
 minus *Locum* accuratè *videre*, distinctè *audire*, tangere aut alia  
 ratione *discernere* sufficiat, quia LOCUS sensui nostro semper  
 in hujus vitæ ergastulo quàm proxime & immediatè adjacet, coe-  
 teraqve sensoria ad eò incongruè minusq; decenter afficit, ut ple-  
 raqve sensationis requisita suppressere videatur. *Ratio* æqvè diffi-  
 culter perspicit *Locum*, quia *mens* à *Loco* nec attingitur, nec conti-  
 netur. Accedit, quod nihil sit in intellectu, nisi quod prius fue-  
 rit in sensu. (II.) Ob Auctorum diversa placita. Alii namque  
*Physici Locum* pro corpore, Alii pro materia, Alii pro forma, A-  
 lii pro causa efficiente; Alii pro fine, Alii pro basi, Alii pro spatio,  
 Alii pro superficie, Alii pro relatione, Alii pro nihilo &c.  
 habent & æstimant, ut ferme nulli parti rationes deesse videan-  
 tur, quæ non sciendi cupidum distrahant, inqve suspenso teneant.  
 (III) Ob Summorum Philosophorum desperabunda verba, quibus  
 præter morem de *Loci* difficultate conqueruntur. Sic Eorun-  
 dem daduchus & primicerius Aristoteles, (e) scribit: ἔχει δὲ  
 πολλὰς ἀπορίας. Τὶ ποτὲ εἶναι ὁ τόπος. Οὐ γὰρ ταυτὸν φαίνεται  
 θεωρεῖσθαι ἐξ ἀπάντων τῶν ὑπαρχόντων. Ἔτι δ' ἔδ' ἔχομεν ἄδεν πα-  
 ρὰ τῶν ἄλλων, ἕτερον προηπορημένον, ἢ ἕτερον υποηπορημένον περὶ αὐτῶν.  
 Quod ex versione Casauboni sic sonat: Complures autem dubitationes  
 emergunt, quid sit locus, non enim idem ex omnibus, quæ ipsi com-  
 petunt, contemplanti videtur. Præterea nihil ab aliis aut dubita-  
 rum de ipso, aut inventum habemus.

§. III. Quæ ultima verba more suo falsè perstringit Francisc. Pa-  
 tricius, Gliffensis Italus, (f) collata cum illis, ubi Aristoteles paucis  
 lineis interjectis ait, quod illi, qui vacuum esse dicunt, locum esse  
 asserant; multiqve putaverint cuncta alicubi esse atqve in loco;  
 (g) quin Zenonem ipsam de Loco dubitasse non obscure affirmat  
 Aristoteles. (h) Ex quibus CL. Patricius Aristotelem contradictio-  
 nis insimulaturus ita infert: Zeno ergo προηπορησεν προδubitavit.  
 Et vacui assertores Leucippus, Democritus, Hesiodus & vulgus hoc  
 προη-

(e) lib. IV. *Physic* c. 1. p. 218. D. (f) *Disiuss. Perip.* Tom. II.  
 lib VI. (g) l. c. c. II t. 6. (h) lib. I. c. III. t. 12

προσηκουσας, praecquisiverunt de loco, quod entia contineat.  
 Quomodo igitur vera est assertio, nihil fuisse de loco aut dubitarum  
 aut praecquisitum? (i) Sed Aristoteles loquitur de legitima &  
 recta dubitatione, cujus principium ars est ac certa methodus,  
 quaeque nobis viam pandit ad scientiam & veritatis cognitionem,  
 quam qui invenire cupiunt, καλῶς ἀπορῆσαι, & à dubitationibus  
 ordiri debere passim docet (k). Quorsum etiam facit illa Subti-  
 lissimè sed pœtulantissimi Philosophi CARTESII praerequisita phi-  
 losophandi dubitatio, quã tot verborum phaleris Ipse sic renovat, (l)  
 ut minùs religiosè, sed rigorosè nimis inculcata fuisse videatur.  
 Quod verò antiquiores Philosophi Locum frigidè & jejunè expo-  
 fuerint, id expressè vult Aristoteles, quando ait: (m) λέγει  
 μὲν γὰρ ἅπαντες εἶναι τι τὸν τόπον. ἢ δ' ἐστὶν ἄλλο, μόνον ἔπει-  
 χείσθαι ἐν εἰπέῳ, h. e. nam omnes quidem inveniunt, locum esse ali-  
 quid, sed quid sit, hic solus (Platonem indigitat) dicere est ag-  
 gressus. Idem contestatur Johannes Grammaticus cognomine  
 Philoponus (n): nullum sc. Veterum de Loco quicquam cum aliqua  
 consolatione & autoritate enunciaffe. Similiter doctissimus A-  
 ristotelis Paraphrastes Themistius, (o) neminem compertum fuisse, in-  
 quit, qui de Loco scitè indubitaverit. Fr. Patricii igitur intempesti-  
 vè corrasa contradictio est corrasa, quia elenctum ignorat.

§. IV. Ex nostratibus magni Nominis multiqve judicii  
 Philosophis sisto principe loco B. Balthas. Meisnerum, (p) qui  
 non modò lubens Spatio Scaligerano à se prolixo temporis spatio  
 mordicus defenso valedixit, sed & in correcta sententia nihil-  
 minus Loci difficultatem graviter & seriò his verbis admiratur:  
 In loco sumus & vivimus, in loco quiescimus, ex loco ad locum  
 quotidie transimus, & adeò tamen circa loci naturam cœcutie-  
 mens nostra, ut quid demum statuere debeat, vix ac ne vix qui-  
 dem inveniat. Pariter B. Scharffius (q) Loci doctrinam valde  
 obscuram & in se nonnihil difficilem nuncupat. Postremò tantæ

A 3 dif.

(i) Conf. P. Ramum lib. IV. Schol. Phys. in c. 1 (k) lib.  
 III. Metaph. c. 1 (l) Princip. phil. part. 1. p. 1 2. Add. Diff. de Method. p.  
 20 .21. (m) l. c. c. IV. t. 16. (n) Comment. in lib. IV. Phys. c. 1. t. 1. (o)  
 in Paraphr. ad loc. Aristot. sup. alleg. (p) in Phil. Sobr. part. 1.  
 Sect. III. cap. 1. q. 1. pag. m. 692. (q) in Comp. Phys. Aristot.  
 part. Gen. lib. II. cap. IV. pag. m. 177.

difficultatis locuples testis erit B. Dan. Sennertus, (r) qui in loco, inquit, sumus, & quid locus sit, ignoramus. Adeo enim intricata est de natura Loci questio, ut Philosophi etiam acutissimi hic dubii harent. Et quid verbis opus est, ubi rerum testimonia suppetunt. Perge B. L. ire nobiscum, & videbis!

Positio II.

Vox Loci adeo πολύσημη est, ut ferme per omnes scientias & facultates ipsius va-  
getur usus.

Expositio.

Sepositâ originis & affinitatis Grammaticæ vilitate incumbemus paululum in æquivocationis, ne hæc errorum generix nos circumveniat, evolutionem, moti gravissimo illo Summi Medicorum strategi (s) GALENI monito (t): δὲ πρῶτον τὸ τῆς Φωνῆς σημαίνοντι ἐξετάζειν εἰς τὸ ὁρθῶς διδάσκειν, i. e. principium in omni disputatione & re est nomen. Sumitur autem vox LOCI I. Topicè pro titulo canonum probabilium, qui instar complexi principii probant propositionem dubiam; hinc Loci Nominales sive Grammatici; Notionales sive Logici; Reales sive Metaphysici audiunt. (u)

II. Metaphysicè pro ubietate circumscriptiva, qua quid est in ubi determinato divisibiliter. Quod subtiliter & doctissime persequitur Accuratisimus noster DONATI. (x)

III. Topographicè pro certa regione & situ urbis, oppidi, castelli, pagi &c. hinc famosa est Locorum distantia.

IV. Ethicè vel pro summo malo juxta illud Terentii: Pejore res loco non potest esse, quàm in quo nunc sita est. Vel pro existimatione, ut Cicero dixit: Esse magno loco apud Regem. Vel pro nativitate conditione ex Sallustio: Inter suos non obscuro loco natus.

V. Politicè pro qualitate officii, habilitate Personæ & hinc enatâ πρωτοκλισία ordinis. Germ. Rang. Huc spectat nomenclatura disputandi in Academiis pro Loco, ut hoc æroamate

(r) in Epitome Nat. scient. l. I. c. VII. p. m. 97. (s) uti illum vocat Zacutus lib. 2. Prax. hist. c. 17. p. 427. (t) lib. 1. Meth. med. c. 5. (u) De quibus agunt Logici passim (x) in Meaphys. Usual. c. X. pag. 79.

suspicali publicè declaret atque edifferat *Disputator*, non tam ex *Patronorum* affectu, quam suo quoque merito se hoc impetrato munere & ordine dignum esse.

VI. *Oeconomicè* pro commoda & secunda habitatione, quam *Loci* oportunitas & salubritas apprimè commendant.

VII. *Medicè* pro dolorifica parte morboſi corporis, aut *utero*.

VIII. *Juridicè* pro superficie, quæ certa qualitate morali prædita est, cujus respectu actus vel conceditur vel prohibetur, præstatioque inde resultans vel augetur vel minuitur. Hic *Locus* est vel *Divini*, vel *Humani* juris. Ille est vel *sacer*, vel *sanctus*, vel *religiosus*. Humani juris locus est vel *publicus*, vel *privatus* &c.

IX. *Theologicè* pro sede articuli fidei, prout ille vel *σπο-  
γαδικῶς* in *Scriptura*, vel *συστηματικῶς* in *Theologia* reperitur & declaratur. Hinc salutantur *Loci Theologici*.

X. *Rabbinicè* & *καταχρηστικῶς* pro ipſo *Deo*. *Ebraei* enim atque *Rabbinici Doctores* *DEI* curam in rebus conservandis certissimam & præsentissimam comprobaturi dicunt *Illum* in codice S. appellari *LOCUM*, quasi *Deus* sit ipse *Mundi Locus*. Sic enim commentantur: לפי שהמקום מעמיד הדבר ומקיימו נקרא האל מעון אמר משה מעון אתה הייתה לנו כלומר שאתה מעמיד העולם ומקיימו במקום שמ שמעמיד הדבר ומקיימו: *Propterea, quia locus consistere facit rem & conservat, Deus vocatur locus. Dixit enim Moses, (Psalm. 91. v. 9.) Domine locus tu fuisti nobis. Et hoc innuit: Tu facis, ut consistat mundus, eumque conservas, quemadmodum locus consistere facit rem & eam conservat. Eodem modo antiquissimi Rabbinorum (y) מעין, qua voce Moses hic utitur, exponunt per מקום, quando scribunt: למה מכרין שמו של הקדוש ברוך הוא: מקום שהוא מקומו של עולם שנאמר הנה מקום אתי i. e. Quare nomen Domini, qui est sanctus benedictus ille, dicitur esse locus? Quia ipse est locus mundi. Sic enim scriptum (Exod. 33. vers. 21.) Ecce locus est apud me. Rationem autem, cur dictus fuerit *Locus*, eandem cum aliis affert R. David. Kimchi (z) his verbis: מעון הייתה לנו כלומר שאתה מעמיד העולם ומקיימו במקום שמ שמעמיד הדבר ומקיימו: הייתה*

(y) in *Midrasch Tehillim*. (z) in *lib. Hasebereschim. lib. 9.*

הייתה לנו רסובל וסמך וכן אליון שמח מעונן וכו  
 רבותינו זול כנו שמו של הק בה מקום לפי שהוא מקומו  
 : *Quum dicit, מעון fuisti nobis, nil aliud vult dicere, quam מקום locus fuisti nobis,*  
 nos scilicet portando & sustentando. Et sic accipitur vox מעון  
 Psal. 91. v. 9. quoniam dixisti, Jehova spes mea, excelsum po-  
 suisti locum tuum. Et Rabbinii nostri ita sanctorum benedi-  
 ctum illum cognominant, & appellant nomine loci, quia ipse est locus  
 mundi, non mundus illius. Et quis omnes Loci homonymias  
 colligere sufficit aut collectas desiderat, maximè cum vulgus  
 hominum nunc pro sua ruditate, nunc pudore, nunc vocabulo-  
 rum defectu quidlibet incongrui, obscœni & ignoti nomine Lo-  
 ci nuncupet.

Positio III.

*Nostra Loci speculatio in hemisphærium physi-*

*cum cadit, ubi non modò Locum reverà existere, sed & à loca-*

*to, locabilitate, localitate & locatione differre*

*probandum est.*

*Expositio.*

§. 1. De sede doctrina ab initio nobis conveniendum est,  
 ne postmodum incertâ sede vagemur. Quùm autem Locus in  
 actu signato & ex primo fonte primoqve elemento nobis nunc  
 diducendus & dispiciendus veniat, illum nemo accuratiorum  
 Philosophorum alibi nisi in Physico tanquam domestico foro exa-  
 minandum aut præceperit, aut sumpserit. Nam subjectum, cui lo-  
 cabilitas competit, & ad quod locus refertur, id naturale est,  
 omne autem naturale est mobile, (aa) mobile sine loco & tem-  
 pore esse nequit, (bb) nulla vero motuum species corpori na-  
 turali tam propria est, quàm quæ secundum locum fit, (cc) ut  
 ex Neotericorum mente non detur nisi una species motus, nem-  
 pe localis. (dd) Qui igitur naturam corporis mobilis motusq;  
 localis perspectam habere cupit, is in Physica discat, quid lo-  
 cus sit, necesse est. Præterea si non-ens nusquam est, igitur alicu-  
 bi

(aa) juxta Aristotelis definitionem Naturæ, quam habet lib.  
 II. Phys. c. 1. t. 3. (bb) Arist. lib. III. Phys. c. 1. t. 2. (cc) Arist.  
 lib. IV. Phys. c. 1. t. 1. (dd) V. B. Philipp. Lohmejerus Thes.  
 Philos. miscell. Phys. tb. 17. 24. 25.

bi erit ens, (ee) quod pro sua quantitate in LOCO est, pro sua qualitate vel sursum vel deorsum tendit, juxta Platonis (ff) argumentum: *Φάμεν ἀναγκάσιον εἶναι τὸ πρὸς τὸ ὄν ἀπαντῆν ἐν ἑνὶ τόπῳ, καὶ κατέχον χώραν ἴσην τῷ ὄντι μῆτε ἐν γῆ, μῆτε πρὸς καὶ ἄνω, ἢ δὲν εἶναι, h. e. necessarium putamus, ut, quicquid est, in aliquo sit loco positum, regionemque obtineat aliquam: Et quod neque in terra, neque in caelo sit, minimè esse credimus. Si quis ergo corpus naturale cognoscere avert, respiciat quoque Locum, in quo illud conservatur, oportet; idque Philosophum naturalem decet. Denique Aristotelis (gg) iudicium locum Loco assignat congruum, quando scribit; Οὐσίως δ' ἀνάγκη καὶ περὶ τὸ πρὸς τὸν φυσικόν, ὡσπερ καὶ περὶ ἀπειρα, γνωρίζειν, εἰ εἶναι ἢ μὴ, καὶ πῶς εἶναι, καὶ τί εἶναι. i. e. Similiter necesse est etiam de Loco, ut de infinito Physicum nosse, an sit, nec ne, Et quomodo Et quid sit? Cum quo consentiunt Simplicius, Averroes, Themistius omnesque eius Interpretes & Commentatores. Firmum igitur & fixum est Loci doctrinam ex principiis Physicis diducendam, ad objectum Physices referendam, & cum affectionibus corporis naturalis omninò explicandam esse.*

§. II. Quid sibi igitur sumit communis ille scientiarum turbator (hh) P. Ramus (ii)? qui doctrinam Loci non ad Physicam, sed Logicam pertinere probaturus sic colligit: Si motus localis gratià de Loco in physicis agendum est; sequitur, quod, quia domus est in loco, etiam architectura fuerit precipere de loco. Posterius absurdum. Ergo & prius. Sed crassa est sutela, nulla seqvela Majoris, quia à loco motus naturalis ad locum domicilii, à loco explicativè ad locum applicativè talem N. V. C. Nam architectus feliciter domum exstruit, etsi nesciat, quid Locus sit, in quo domus est. Neque domus in loco est, quia domus est, sed quia corpus naturale simpliciter tale est.

§. III Postquam nobis visus & constitutus est locus, in quo de LOCO οὐσίως agendum, nunc par est & decet investigare prius: an locus sit? quàm explicare: quid sit? *Ἀδύνατον*

B γὰρ

(ee) V. Philop. Comm. in lib. IV. Phys. c. 1. t. 1. (ff) in Timaeo, qui est dialogus de natura seu universitate, p. 535. (gg) lib. IV. Phys. c. 1. t. 1. (hh) uti à B. Scharffio appellatur in praecogn. de Sectis Philos. p. m. 35. (ii) Schol. Dial. lib. IV. c. VII. Schol. Phys. lib. II. in c. 1. Et lib. IV. in c. 1.

Existenti  
Loci

ἴαδρ, inquit Aristoteles (kk) εἰδέναι ἢ ἴσιν, ἀγνοῦντας εἰ ἔστι. Fieri enim nequit, ut, qui ignorant, an sit, cognoscant, quid sit. Causam subindicat Idem hanc, (ll) quia τὸ δὲ ζῆλεν ἢ ἔστι, μὴ ἔχου-  
 λας ὅτι ἔστι, ἠδὲν ζῆτεῖν ἔστι, quærere quid sit, cum ignoretur quod sit, est nihil quærere. Quocirca Philosophum secuti quatuor usque validis (ut speramus) argumentis Loci existentiam damus probatam. Primò quia ipso sensu manifestum est, corpora ab uno ubi ad aliud transferri ita, ut idem sæpe corpus diversa ubi successivè occupet, idemque vicissim ubi diversa corpora per vices contineat. Sic comperimus manifestò, & manu quasi tenemus nostra corpora, quando moventur, ferri de hoc loco in & ad alium, e. g. è muséo ad templum, hinc ad cœnaculum, hinc ad plateam, hinc ad collegium. Pariter idem vasculum nunc aerem, nunc aquam, nunc terram, nunc ignem, nunc aliud quodcunque corpus mistum successivè admittit. Hinc luculenter patet locum non modò esse, sed & locum esse diversum quid ab eo, quod locatur & continetur. Deinde sentimus atque videmus unumquodque ex quatuor corporibus simplicibus proprio quasi nisu & desiderio ad suum à natura destinatum tendere LOCUM, nisi aliunde impediatur, quia tùm demum illis bene est, quando naturalem situm, suumque UBI attigerunt. Unde non immeritò Aristoteles vim & virtutem; Averroes (mm) & Jac. Zabarella (nn) moti perfectionem LOCO adscripsisse videntur. Cum enim quævis res sui exoptet conservationem, eamque interna perfectio sola non præstet, requiritur præter eam externum conservans, quod proprii LOCI & naturalis situs est, quem tamdiu moritando quærit Res, usquedùm invenerit, ubi quiescat; nam ἀπαύλα juxta Aristotelem (oo) πᾶντα κινήματα ὅταν ἔλθῃ εἰς τὸν οἰκίον τόπον, i. e. universa cessant desinuntque moveri, cum venerint in locum quasi domum suam. Præterea positionum differentia satis clarè arguunt Locum dari, hæ enim indices quasi & claves sunt rei in certo LOCO reservatæ & aperiendæ, de quibus inferius plura. Denique ab oppositorum op-  
 positæ

(kk) lib. II. post. Anal. c. IX. D. p. 102. (ll) l. c. S. 5 (mm) Comment. in 1. 4. lib. IV. Phys. (nn) in de Reb. Natural. lib. I. de Motu ignis in orbem c. II. X. p. 298. c. (oo) lib. I. de coelo s. IX. p. 275. H.

posita consequentia concludere licet *Locum* dari; nam si inane dicis, *locum* concessisti, quia *inane* nihil aliud est, quam spatium omni corpore destitutum; cum autem nihil sit in rebus inane, vi oppositorum LOCUS sit, necesse est. (pp)

§. IV. Malè igitur Petr. Ramus (qq) contradicendí cestro percitus deridet Philosophum Aliosque, qui LOCI óti éivay pervestigare instituunt, quando scribit: *Quære utrum sit locus, quid ab eo differt, qui quærit, utrum Natura sit?* Quo æruginoso erotemate Ramus illa Aristotelis verba (rr) pungit, quæis illa quæstionem *An sit Natura?* rejecerat, eumque, qui illa proponeret, deridendum putaverat. Sed magnum discrimen est inter has duas de *Natura* & *LOCO* quæstiones, quia impari perspicuitate gaudent; *Natura* enim ad sensum & per se innotescit, *Locus* non item. Unde factum, quod Zeno aliique plures *Eum* in dubium vocarint. Themistius quoque & Averroes existimant Aristotelem (ss) illorum proposuisse sententiam, qui *Locum* è rerum natura tollere cogitarunt. Proinde fonticam & prænantem habemus causam probandi & esse locum, & locum esse distinctum quid à corpore locato, quod per se non est notum.

§. V. Postremò illud in antecessum explicandum superest, quid discriminis intercedat inter *locum*, *locatum*, *locabilitatem*, *localitatem* & *locationem*. *Locus* ex dicendis mox clarius cognoscetur. *Locatum* est ipsum corpus naturale, quod à loco ambitur & continetur. *Locabilitas* est, quæ quid ob magnitudinem finitam in loco esse aptum natum est. *Localitas* est formalis applicatio Loci relata ad locatum. *Locatio* est actualis commensuratio locati facta ad locum. Sic corpus naturale *Homini* dum est in loco, *locatum* vocatur; dum esse potest in loco, *locabile* dicitur; sed quando locus refertur ad corpus contentum, hoc *localitatis* est; quando autem locatum corpus actu collocatur in loco, hoc *locationis* est.

B 2

Pe-

(pp) Conf. Joh. Magirum in *Physiol. Peripat. lib. 1. c. 11X. comment. p. 88, c.* (qq) *l. superius alleg. (rr) quæ exstant. lib. 11. Phys. c. 1. t. 6.* (ss) *t. 8. 9. & seqq.*

Positio IV.

**CA** *Locus non ad mundum & corporaliter, neque ad sensum & populariter, sed ad mentem & formaliter spectatus est ambitus spatiosus, quem ex se gignit quantitas corporis locabilis in proxima, adequata & immotâ superficie corporis locantis & circumscribentis certum locatum divisibiliter.*

Expositio.

§. I. Quamvis iterum cum B. Meisnero (tt) humillimè agnoscerem angustias & infirmitatem intellectus mei, qui etiam ante pedes posita satis perspicere nequit, tamen induci non possum, ut cœco obsequio credam, quæ ratione scrutanda sunt. Igitur partium studio & præconceptâ opinione vacuus de LOCO & Vacuo liberè & ingenuè, quantum poterò, sentiam, Monitus meliora sequar.

§. II. Quùm LOCUS nobis sub variâ juris physici specie obtrudi possit, idcirco in positione diximus, quod aliter ad mundum, aliter ad sensum, aliter ad mentem relatus definiri debeat. LOCUS in comparatione ad mundum universum est determinatum aliquod ubi in mundo, quod tam per creationem Dei, quàm propagationem Naturæ & edificationem Hominum solido & proprio occupatur corpore. Quod ut explanetur fufius, concipe & dispice hanc Mundi, uti est in ambitu statuqve suo, vastissimam spheram, ex nihilo negativo conditam, loco nihili positam, & intra nihilum terminatam. Quo pacto nihil inibi offendes, in quo sit nihil, sed vel cum Aristotele (yy) heic quatuor elementa, illic ætheream substantiam, & isthic substantiam stellarum elemento analogam reperies. Vel cum Cartesio (zz) materiam subtilissimam omnia replentem, ut & materiam subtilem five ætherem per immensa cœlorum spatia mundumqve sublunarem ubiqve diffusum, itemqve massam crassiuscularum & jam concretarum molecularum elementarem deprehendes. Huic tam distentissimæ fabricæ, Mundo sc. sublunari  
sive

(tt) in Phil. Sob. Sect. III. p. m. 692. (yy) lib. III. de cœlo, c. I. & III. Add. Simplicius in comment. ad h. l. (zz) V. part. III. Princip. Philos. num. LII. & part. IV. num. VI. seqq. Add. Claubergerius Phys. contr. act. c. XIII.

five  $\mu\epsilon\gamma\alpha\lambda\acute{o}\tau\epsilon\tau\alpha$ ; & supra lunari five  $\mu\epsilon\alpha\gamma\epsilon\upsilon\sigma\acute{o}\tau\epsilon\tau\alpha$  (aaa) inferuit  
 Summus ille locator DEUS alia eaque solidiora & sensibilia  
 corpora tam totalia, quam partialia; tam diuturna, quam caduca;  
 tam inanimata, quam animata; tam simplicia, quam composita &c.  
 Quibus inops vita & secuta hominum voluptas in terris adstruxit  
 casas, vicos, oppida, arces, turre, portus, urbes, pyramides, colossos,  
 & sic deinceps. His verò singulis Deus, Natura & Ars tale  
 assignarunt UBI, ut quodlibet eorum non modò sine alterius im-  
 pedimento certam mundi partem & regionem occupet, sed &  
 in eà tanquam sede propria sit, quiescat, operetur, moveatur, &  
 ab aliis mundi corporibus sibi naturâ & situ dissimillimis  
 distingvatur; Sic Terra in centro universi est. Fossilia utpote  
 metalla, lapides atque mineralia in terræ cuniculis aluntur.  
 Maria, flumina, fontes eidem per circulationem adhærent. Ex  
 crusta terræ progerminant planta. Similiter Terram cingunt  
 aeris regiones, meteora, aliæque impressiones ignea; conculcant  
 bruta, homines; premunt montes & innumera Hominum stru-  
 ctura, quæ certam certæ terræ & regionis partem sibi vendi-  
 cant: Sic Constantinopolis Thraciæ; Aleppo & Damascus Sy-  
 riæ; Alcahir Ægypti; Bagdad Babylonæ; Belgrad Hungariæ  
 sup. &c. particulam tanquam locum suum contegunt & occu-  
 pant. Hinc circumquaque altius exsurgunt & promicant stellæ  
 erraticæ, & in maximâ copiâ fixæ, suis orbibus distinctæ. Qui-  
 bus iterum illud assignamus UBI, quod Deus ipsis in mundi  
 compagine attribuit Ipse. Luna enim in primo, Sol in quarto,  
 Saturnus in septimo vertitur orbe. Atqui hic est ille locus,  
 quem in Mundi systemate & Terræ contemplatione ac divisione  
 intimat Cosmographus, inque prædicamento UBI collocat Logi-  
 cus; nihil igitur aut parum ille ad nos.

§. III. Deinde Locus ad sensum spectatus atque descriptus  
 est situs unius corporis ad aliud quodcumque præstantius, notius &  
 immobilius corpus relati. Sensus Vulgi magister non incongruè  
 audit, quicquid enim huic ad sensum, hoc verum & bonum est.  
 Quod ex LOCI indicio vulgari jucundè patet. Si enim de Loco

B 3

hujus

(aaa) Sicuti Mundum distinxisse videtur Aristoteles lib. 1.  
 Meteorol. c. 2.  $\acute{o}\ \delta\epsilon\ \pi\epsilon\gamma\acute{\iota}\ \tau\acute{\iota}\nu\ \chi\acute{\alpha}\nu\ \acute{o}\lambda\omicron\varsigma\ \nu\acute{\epsilon}\sigma\mu\omicron\varsigma$ , inquit,  $\epsilon\kappa\ \tau\acute{\epsilon}\tau\alpha\upsilon$   
 (sc. 4. elementis)  $\alpha\upsilon\tau\acute{\iota}\sigma\tau\alpha\iota$ .

hujus vel illius corporis quæsitum fuerit, *populus nominabit vicinum corpus præstantius, notius & magis fixum, ex cujus certiori notitiâ induci quis potest in cognitionem incertioris loci.* Sic *minister* ab *Hero*, *Legatus* à *Principali*, *subditus* à *Domino*, *pars* à *toto*, *ignobilis* à *nobiliori*, *obscurius* à *clariori* locatur & cognoscitur. Eodem modo *pagos* obscuros à *vicinia civitatis illustrioris*, *civem ignotum* à *vicino notiori*, *minus* à *proximo majori* denominatur, ipsiusque *locus* indigitatur. Huc quoque spectat *corporis mobilis ad immobilis situatio & determinatio.* *Locus enim Solis aliorumque Planetarum in gradibus atque minutis Zodiaci, studiosus in musæo aut collegio, baculus in angulo, cantharus in mensa & quæritur & esse dicitur.* Sicuti autem hæc *Loci* indicatura est vulgi, sensus, nostræque imbecillitatis & prædicamenti *SITUS*, ita nondum *precisè & formaliter* dicit, *quid sit LOCUS?*

§. IV. *LOCUS* igitur *proprius ex judicio mentis suæque formalitate æstimatus nobis, salvo meliori judicio, dicitur est AMBITUS spatiosus.* Nam primum, quod in *Loco* concipimus, est, quod *proximè* ambiat, *adequatè* contineat, *immediatè* circumscribat & *locet* aliud corpus contentum atque locatum. *SPATIOSUS*, i. e. *omni corpore solido, misto & sensibili elemento destitutus dicitur, non ratione sui, sed respectu locati, quod, quia trina dimensione sc. longâ, latâ atque profundâ gaudet, expellit simile corpus, ipsumque aerem atque ætherem cedere facit, ne dimensionum penetratio fiat, quam natura admittere nequit.* Noli autem hoc *spatium* ad modum *vacui absolutè negativè* aut *nibili illius, quod ante mundum conditum erat, concipere*; sic enim *intrinsecè* in *nihilo* adeoque *nullibi* esses, nec *motum* haberes, nec *Deum* amplius *superesse* agnosceres, in quo tamen *sumus, movemur & existimus.* Sed in *spatio* illo, *dum fit, remanet subtilissima, tenuissima & agitativissima materia, quæ corpus quodcumque recipit, inque ipsius poros atque meatus penetrat; mox, dum factum est, elementares qualitates secum ingerit atque insinuat, eoque sic locatum vel conservat vel corrumpit, prout locus est aut naturalis, aut violentus; aut benignus aut malignus.*

§. V.

§. V. Cætera descriptionis verba differentiam Loci nunc à causa, nunc à subiecto, nunc ab objecto, nunc à modo locandi petitam indicant. Causa prædicti ambitus est **QUANTITAS** corporis locabilis. Intelligitur autem heic *quantitas* non virtutis, sed molis; non intensiva, sed extensiva; non Metaphysica, nec mathematica, sed physica, quæ ex materia corporis compositi per naturalem resultantiam emanat. Est autem hæc *quantitas* in rebus diuturnis & totalibus in se constans & eadem; in rebus mutabilibus & caducis autem pro receptivitate subiecti variat, ut tamen *maximum & minimum naturale* semper idem in singulis speciebus maneat. Subiectum autem, cui hæc *Quantitas* inhæret, est **CORPUS LOCABILE**, quod ex se quantum & mobile est. Talismodi autem *Corpus naturale trifariam* in mundo locatur: vel simul & semel, sic **DEUS** in primo conditu qualibet suo loco digessit; vel à minimo ut sic ad maximum ut sic, uti *Natura* ex vilissimo semine producit & in mundo sublunari sistit naturale quodvis; vel ex indigestis & impolitis corporibus extruit ædificia varia, quod *Architectus* potest. Omnia igitur, quæ locantur, corpora vel naturalia vel artificialia sint, oportet. Objectum, circa quod locatio contingit, dicebatur esse **SUPERFICIES proxima, adæquata & immota** corporis locantis &c. *Superficiem* dico, non convexam, sed concavam; non illam, quæ per se & à corpore seorsim longa atque lata Mathematicis dicitur; neque istam, quæ extremitas & terminus corporis vulgò videtur, nam sicut linea punctis, & superficies lineis, ita corpus terminatur superficie; sed hanc, quæ est terminus (Aristoteli negas) illius corporis, quod continet aliud corpus, ita ut per ipsam corpus, cuius est, tangat & contineat aliud. Locus igitur adæquatè & solitariè non est superficies, utut illa ad locum principaliter requiratur. **PROXIMA** esse debet superficies, quia hoc natura loci proprii & fuga vacui effragat. **ADEQUATA**, quia superficies debet esse æqualis locato, si non intimè & dimensive, tamen extrinsecè & circumscriptivè. **IMMOTA**, h. e. cum corpore locum mutante non simul translatica; nam si superficies nostri loci esset mobilis, per se esset in loco, & sic loci alius esset locus. Accedit, quod, si ambitus in superficie distentus esset mobilis, nulla latitudo fieri posset, semper enim locus cum locato mutaretur, quod ordini nature & testimonio sensus refragatur. De his, quando ad conditiones

tiones Loci perventum fuerit, prolixius infra dicetur. Denique *Modus* locandi in eo consistere videtur, quod *corpus ambiens* locet & circumscribat locatum **DIVISIBILITER**. Est autem illud *divisibiliter* locatum, quod quidem totum est in toto spatio, nec tamen totum in qualibet parte spatii, sed solum quæ partem in parte spatii, v. g. collocetur in fixo loco baculus triplici metallo videl. *argento* in capite, *orichalco* in ventre, & *ferro* in pede munitus; dico, quod *caput argenteum* baculi non possit unâ esse in *ventre orichalceo*, neque *hic* in *pede ferreo*, quia quælibet pars baculi ita in sua parte *Loci* est, ut quoque *sine altera parte baculi lociq;* esse possit. Tantùm de **LOCI** natura balbutisse & divinasse sufficiat, usque dum hisce Loci paniculis exclusi *divinore loco* fruamur.

§. VI. Constituto utcunque *Loci* nostri præsidio, cum Illis nunc transigendum restat, qui à nobis *loco* & *voluntate* disident, nostraque mœnia hostiliter infestant. Sunt autem horum *Obsessorum* Alii *prisci*, Alii *novi*. Vicissim Alii adversantur nobis *acriter*, Alii *leviter*. Proferam *Ipsorum* ferreas telorum segetes, non ut revibrem, aut tela jacta frangam, sed ut illa saltem *exhibeam*, & *Lectori B. integrum* iudicium relinquam. Omnium Antiquissimi creduntur Illi esse, qui ante *Aristotelem* **LOCUM** dicebant *formam* & *speciem* cujusque rei *externam* seu *figuram* esse (bbb). Patronos autem hujus sententiæ nec *Aristoteles* nec *alius* quisquam tradidit. *Aliis* ex adverso hæc displicent, nam quod Illi *Formæ*, id Hi *Materiæ* adscribere satagunt. Tribuit *Aristoteles* hanc sententiam *Platoni*, quod in *Timæo* ἦν ὀλὴν καὶ ἦν χόραν τὸ αὐτὸ εἶναι, i. e. *materiam* & *receptaculum* idem esse dixerit. Nec defuerunt Alii, qui teste *Aristotele*, **LOCUM** pro *Efficiente causa* aut *Fine* habuerunt. Iterum vixerunt *Philosophi*, (ccc) qui *Locum* aut *molem corpoream*, aut *corporis partem* esse contenderunt. Quid *Aristoteli* **LOCUS** sit in vulgus notum est, sic enim Ille de **LOCO**, (ddd) ὡς τὸ ἰδὲ περιέχοντος περιέχας ἀκίνητον πρῶτον, τοῦ ἰσίου ὁ τόπος. Quod à *Casaubono* sic trans-

(bbb) Quam sententiam notavit *Aristot.* lib. IV. *Phys.* c. IV. t. 15. (ccc) quos refutavit *Joh. Magirus* *Physiol.* comment. c. IIX. p. 88. 89. (ddd) *Phys.* lib. IV. c. IV. p. 221. & cap. VI. t. 39. 41.

translatum: *Quare Locus est finis continentis immobilis primus.*  
Meum heic non faciam, quod Fr. Patritius (eee) pro suo vendi-  
tat, quasi Philosophus hanc de Loco sententiam ex Archytâ Taren-  
tino & vetustissimo Ocello Lucano acceperit hauseritque. Illud  
certum est, quod ἡ ἀπέρα [C] sensus incertus sit, nam Græcis  
τὸ ἀπέρας propriè significat terminum (fff), Euclidi autem ἡ ἐπι-  
πέρα denotat superficiem. Non immeritò igitur quis am-  
bigit, utrum Aristoteli LOCUS sit terminus, an superficies?

§. VII. Enumeratos hosce excipiunt Alii haut felicio-  
res LOCI scrutatores. Fuerunt enim, qui formalem Loci conceptum  
in mero nihilo posuerunt, quod fecerat Dav. Gorlaus, Ultraje-  
ctinus Philos. Alii reponebant Loci naturam in Centro, maximè  
quoad illa corpora, quæ in orbem usque ad ultimum cælum  
moventur, uti statuerunt Alpharabius, Avempace, Averroes, Sim-  
plicius, Albertus M. (ggg). Rursus Alii Loci rationem in virtute  
conservatrice constituerunt, ut Jandunus (hhh). Sed verò Job.  
Duns (iii) Scotus Locum per quandam relationem tam continen-  
tiae quàm distantiae concepit. Jul. Caf. Scaliger imputat Fraca-  
storio, quasi statuat Elementorum LOCUM esse lineam; Sed  
Fracastorium à Scaligeri castigatione accuratè liberavit B. Sper-  
lingius (kkk). Post hæc statuit Bartholomæus Keckermannus (lll)  
Locum juxta mentem Aristotelis ἀπέρας [C] ἀπέρας nil esse ali-  
ud, quàm basin illam, quæ molem corporis locati sustinet, super  
quâ quiescit & movetur, à qua procedit, & ad quam tendit.  
Huic suffragatur Clem. Timplerus (mmm). Utrique succurrit  
Mar. Fr. Wendelinus (nnn). Sed ex instituto hanc opinionem de-  
struit B. Balb. Meisnerus (ooo), B. Jac. Martini (ppp), M. Heinr.

*nihil.*

(eee) Discuss. Perip. Tom. II. lib. VI. (fff) hinc ἀπέρας fi-  
nes. Luc. XI, 31. (ggg) De quibus id testantur Conymbric. Comm. in  
Phys. Arist. lib. 4. c. 5. q. 2. p. 37. Fr. Toletus in Comm. ad 8. lib. Arist.  
Phys. Auscult. lib. 4. c. 5. q. 2. p. 20. Jul. Pacius in Comm. ad t. 46.  
(hhh) quem citat & refutat Fr. Toletus l. c. q. 4. p. 117. (iii) in  
Quodlib. II. quem refutant Conymbricenses l. c. q. 1. a. 2. p. 31. (kkk)  
Meditat. IX. effat. 1. p. 219. seqq. (lll) lib. 1. Syst. Phys. c. 6. p. m. 99.  
& lib. 1. Contempl. de Loco c. X. & lib. 2. c. 4. (mmm) Phys. part. Gen.  
c. II. q. 5. p. 151. (nnn) Contempl. Phys. sect. 1. part. 1. c. 8. dist. 9. p. 382.  
(ooo) Phil. Sobr. Sect. III. c. 1. q. 1. membr. II. p. m. 677. (ppp) lib. 1.  
de Loc. c. 40. p. 321.

*Kipping* (qqq). Demum reperti sunt, qui Locum ad prædicamentum UBI retulerunt, quorum mentionem injicit mentemque rejecit Fr. Toletus l. c. Postremò Job. Tatinghovius, Scholiastes Cartesianus (rrr) Locum ad prædicamentum SITUS revocatum sic definit, quod sit *extensiva situatio corporis relata ad aliud corpus vicinum*. Quem solidè refutatum dedit longè Celeberrimus KIRCHMAJERUS (sss). Sequitur tamen Tatinghovii castra Henricus Regius, Ultrajeclinus (ttt); ut & Basso (uuu), qui præter quædam ad Locum requirit certam à quolibet polo sive punctis mundi fixis distantiam (xxx). Bassonem autem confutavit eruditè Casp. Wyszus (yyy), quem vide. Neque illud prætereundum, quod B. Balib. Meisnerus (zzz), Theosophus religiosissimus maluerit à Tatinghovii SITU, quàm Scaligeri SPATIO stare. Tantum de obsoletis Loci divortis, quæ hodiernum vel pauci vel nulli amplius faciunt.

§. VIII. *Exstantiores* hodiè illæ sunt sententiæ & controversiæ, quæ vel *Spatio* includunt, vel *Superficie* affigunt LOCUM. Intercedit tamen ab initio hoc discrimen, quod utriusque voci in definitione Loci vel generis vel differentia locum assignent. Sic Casp. Wyszus (4a) *Spatium* tanquam Genus distinguit in has Species, nempe: *Inane, vacuum, locum, distantiam & intervallum*. Dn. Laur. Strausius (4b) *Spatium* immediate loco generis ponit. B. Job. Zeisoldus (4c) *Superficiem* appellat Loci Genus. Contra B. Sperlingius (4d) Loci differentiam in *Spatio* consistere adversus B. Zeisoldum obtinuit. Fr. Toletus (4e) autem Loci conceptum proprium à *Superficie* petit.

§. IX. Nunc exspatiandum esset ad speciales Auctorum opiniones adducendas, nisi illa opera partim ab Amplissimo  
KIRCH-

(qqq) *Instit. Phys. lib. II. c. 3. p. 70.* (rrr) *in Clav. Phil. Nat. c. 9. q. 1 p. 207.* (sss) *in de Vacuo & Loco §. XXIV.* (ttt) *Phil. Nat. l. 1. c. II p. 55.* (uuu) *Phil. Nat. lib. de motu. Intent. 3. p. 332.* (xxx) *Quod D. Thomas etiam ad Loci formale requirit lib. IV. Phys. sup. text. 41. & in opusc. 52. Quem confutat Ben. Pererius in de Princ. Rev. nat. p. m. 610.* (yyy) *Phys. part. gen. c. 5. a. 2. p. 64.* (zzz) *l. c. p. m. 695.* (4a) *l. c. a. 2. p. 61.* (4b) *in Isag. Phys. Sect. II. cap. IV. p. m. 49.* (4c) *Med. Phys. ad Syn. Spert. p. 312.* (4d) *Defens. Syn. p. 930.* (4e) *l. c. p. 118.*

KIRCHMAJERO l. c. partim à Clarissimo M. Nic. Ben. Pascha (4f) hodie Colleg. Gröning. Prof. & Schol. Starg. Rectore, jam dudum nobis præoccupata fuisset. Licebit tamen Horum pace vel capita sententiarum & Personarum breviter tetigisse. Quod primò attinet Spatii propugnatores, Horum Alii LOCUM absolute & simpliciter in Spatio situm esse contendunt; Alii id cum divisione Loci admittunt; Omnes in distinctione Spatii & Loci determinandâ dissentiunt.

§. X. Inter absolutos & simplices Spatii Defensores nominari possunt Leucippus. Democritus. Thales Milesius. Plato & Platonici (4g). Galenus (4h). Philoponus (4i). Quos sequuntur Bernhard. Tilesius (4k). Nic. Taurellus (4l). Petr. Ramus (4m). Jul. Caf. Scaliger (4n). Otto Casmannus (4o). Job Combachius (4p). Fr. Patricius (4q). Dan. Sennertus (4r). Jac. Seidelius (4s). B. Job. Sperlingius (4t). Job. Heinr. Alstedius (4u). Petr. Gassendus (4x). Franco Burgersdicius (4y) Adrianus Heerbord (4z). Job. Schulerus (5a). Casp. Wyssius (5b). Nobilissimus Kirchmajerus (5c). M. Heinr. Kippingius (5d). Fabricius de la Bassécour (5e). Laurentius Strausius D. in Alma Ludoviciana Med. & Phys. Prof. Publ. (5f).

§. XI. Sed, qui Spatium LOCO cum divisione tribuunt, Illi duplicem fabrefaciunt LOCUM, internum sc. & externum:

C 2

Spa-

(4f) in de Loco §. 3., & seqq. (4g) teste Simpl. lib. IV. Phys. in digr. de Loc. ad t. 46. (4h) teste Simpl. & Themistio. in l. IV. Phys. t. 36. (4i) in digress. de Loco ad lib. IV. Phys. (4k) lib. 1. de Rerum nat. c. 25. seqq. (4l) disp. de Loco dist. 5. seqq. (4m) lib. IV. Schol. Phys. p. 105. (4n) Exerc. V. sect. 3. p. 13. seqq. (4o) in Phys. Gen. p. 119. (4p) lib. 1. Instit. Phys. pag. 172. (4q) lib. de Spat. Phys. (4r) Epit. Nat. scient. lib. I. c. VII. p. 109. seqq. (4s) Coll. Phys. disp. 6. sect. 9. (4t) Med. VIII. Eff. III. p. 214. seqq. Instit. lib. II. c. 5. q. 3. p. 405. (4u) Encyclop. lib. VII. part. 1. c. 11. (4x) Phys. sect. 1. lib. 2. c. 2. seqq. (4y) Coll. Phys. disp. V. distinct. 9. seqq. (4z) Coll. Phys. disp. 2. th. 42. pag. 9. & in Comm. ad h. l. pag. 84. & c. (5a) Exercitat. Philos. lib. VII. Exercit. 13. p. 56. & in specim. Examinis Philos. Cartes. lib. II. c. 8. p. 29. seqq. (5b) l. c. c. V. p. 61. 62. (5c) l. c. §. XXXII. (5d) Instit. Phys. lib. 2. c. 3. §. 2. p. 66. seqq. (5e) in Defens. Cartes. adv. Schulerum part. 2. qu. 7. p. 109. (5f) l. e. axiom. 1.

Spatium de interno, Superficiem de externo LOCO valere contendunt. Sunt autem hujus partitionis Autores vel ex Peripato, ut Fr. Toletus (5g). Vel ex Villa Cartesiana, ut Excellent. Dn. Job. Christoph. Sturmius (5h) Phil. Nat. & Mathem. Prof. Altdorfhus. Vel ex schola Reformatorum, ut Barth. Keckermannus (5i). Ast in terminorum explicatione hi omnes quã maximè dissident.

§. XII. Denique Spatii natura & à LOCO diversitas à Spatii Possessoribus spatiofo bello distrahitur. Si enim inter Ipsos quaritur: Quomodo SPATIUM à corpore locato differat? Alii rem in suspensio relinquant; Alii Spatium ratione & conceptibiliter distinctum quid à corpore esse fingunt; Alii Spatium realiter à quanto discernunt.

§. XIII. Primi generis hesitator præcipuus est Illustris Cardinalis Toletus (5k), qui ait: *Ad spatium illud sive extensio distingvatur ab ipsa quantitate realiter, vel formaliter, vel ratione, non magnoperè refert.*

§. XIV. Secundi generis palmarius fictor est Renatus des Cartes (5l), cui non modò Spatium illud sive intervallum ipsa corporis cujusque magnitudo mente abstracta fingitur, sed & à substantia corporea saltem nostro concipiendi modo differre statuitur. Quem diligenter & eruditè ex loco suo deturbavit laudatus M. Nic. Ben. Pascha (5m). Agunt quoque causam Cartesii Adrianus Heerbord (5n). Fabricius de La Bassecour (5o). Celeberrimus Sturmius (5p), Alii, communiter. Francisc. Toletus (5q) hanc rationis distinctionem non modò Aristoteli, Themistio, Simplicio & Alexandro &c. receptam, sed & inter Latinos omnium probabilissimam esse adstruit. Similiter C. L. Dn. Sturmius Cartesio conferendum svadet Aristotelem (5r) & J. B. Hamelium (5s). Quod, utrum jure, an injuriã fiat? nunc non decidam.

§. XV.

(5g) l. c. (5h.) Conamin. Phys. concil. part. Gen. c. V. p. 76. (5i) lib. 1. Contempl. c. 9. (5k) lib. IV. Phys. c. V. q. 8. p. 122. (5l) Princip. Phil. part. I. num. X. XI. p. 38. seq. (5m) in cit. Diss. de LOCO puncto III. (5n) Comment. ad Philof. nat. disp. 2. ad rb. 41. 42. pag. 84. (5o) in defens. Cartes. adv. Schuler. part. 2. qu. 7. p. 109. (5p) in Phys. concil. conam. part. gen. c. V. §. II. p. 76. (5q) c. l. q. 3 p. 115. (5r) lib. IV. Phys. c. XII. l. 76. & VI. l. 36. (5s) Metaph. Tract. I. disp. III. qu. VI. concl. 1.

§. XV. Tertiū generis Divisores seiplos variè dividunt. Ex quo enim in illud consensere omnes, quod *Spatium* sit realiter diversum quid à corpore locato; mox *Caramvellus* (5t) & *Wyssius* (5u) hoc *Spatium* pro *Spiritu* diviniore & ipso immenso *Deo* habuerunt. *Proclus* (5x) pro corpore animato, indivisibili, immobili & immateriali. *Thomas Campanella* (5y) pro substantia primā autē capacitate immobili & incorporatā, aptā ad recipiendum omne corpus longum, latum & profundum incorporaliter, quo possit corpora longa, lata & profunda absque mutua penetratione corporali recipere. Porro *Alii* *Spatium* pro *Ente* reali & positivo acceperunt, eoque vel medio inter substantiam & accidens, ut *Fr. Patritius* (5z); vel inter corpus & *Spiritum*, ut *Syrianus* (6a). *Jordanus Brunus*, *Nolanus* (6b) existimat *spatium* esse quintum causa genus. *Alii* (6c) dicunt esse accidens, quantitatem sc. longam, latam atque profundam, non autem, ut *Epicurus*, sine aliquo corpore seorsim existentem, sed semper cum aliquo corpore conjunctam. *B. Sperlingius* (6d) & *CL. noster Kirchmājerus* (6e) ex *Philoponi* & *Didaci Masi* tenore *Spatium* per accidens reale absolutum, extrinsecum & corpori adherens explicant, ejus essentia in spiritali & immateriali quantitate consistit ita, ut locatum corpori physico, *spatium* verò corpori mathematico exactè respondere putent. *J. C. Scaliger* videtur *Keckermanno* (6f) *Spatium* habuisse simul pro *Ente* & *Non-Ente*; ut ut verius videatur *Scaliger* (6g) *Spatium* explicuisse ad modum *Privationis Aristotelicæ*, quæ in se absentiam formæ introducendæ dicit, & tamen inter principia physica ponitur. Atqui ad hunc qq. sensum *Spatii* existentiam explicuit sæpius nec satis laudatus *Kirchmājer*

(5t) lib. VIII. *Metaph.* c. 2. art. 1. (5u) in *Phys.* l. c. pag. 65. seqq. (5x) Quem citat *B. Dan. Sennertus* in *Epit. Scient. nat.* lib. 1 c. VII. p. 112. (5y) real. *Philos.* epilogist. part. 1. c. 2. (5z) in lib. de *Spatio Phys.* ubi *Spatium* *Categoriarum* *Scriptoribus* in cognitum esse dicit. Mox se corrigit & illud pro extensione hypostatica venditat. (6a) Cui hanc sententiam tribuit *Keckermannus* *Syst. Phys.* lib. c. 6. (6b) De quo illud refert *B. Sennertus* l. c. p. 113. (6c) Quos iterum memorat *B. Sennertus* l. c. p. 112. 113. (6d) *Med.* in *J. C. Scalig.* exoter. exercit. de subtil. *Med.* VIII. Eff. III. p. 217. (6e) l. c. §. XXXV. (6f) l. c. (6g) *Exercit. V.* f. 23

*majerus.* Denique agmen claudant illi, qui *Spatium* saltem pro non-ente venditarunt, idque vel pro puro nihilo, ut *Gorlaus*, *Batavus*, de quo supra; Vel pro reali & positivo nihilo; quorum meminere *Dn. D. Velthemig* (6). Vel pro quantitate imaginaria, aut non-repugnantia capiendorum corporum commensurata corporibus locandis, uti *Petr. Fonseca* (6h) & alicubi sui inmemor *Heerbord* (6i) sentiunt. Tantum de SPATIO *spatiosisq. sententiis.*

§. XVI. Reliquum est, ut ad illos, qui *Superficiæ* adherent, paucis convertamur. Sed *Superficiarii* quoque in tot atq. tantas seinduntur partes, ut vix colligi aut determinari queant. Annitemur tamen, ut dissolutos hosce tribus includamus classibus. *Prima classis* eorum esto, qui per *Locum* indigitant *superficiem convexam corporis locato subjacentis.* Quod tamen non de omni, sed solo spherico & circulariter moto corpore verum esse volunt, ita ut superiores spheræ *Ipsis* sint in inferioribus tanquam in locis, non vice versa, e. g. *Locus orbis Jovialis* est in superficie convexa orbis *Martialis*, &c. *Fr. Toletus* (6k) distortam hanc sententiam tribuit *Avem Pace* & *Alpharabio*, quibus tamen *Conymbricenses* paulò alieniorem tribuerunt superius.

§. XVII. *Secunda Superficiariorum classis* est, quæ *LOCUM* æstimat pro superficie ipsius locati corporis convexa. Ad Horum mentem *supremum cælum* est in convexa, eaq. ultimâ superficie, *Terra* in crustâ, *Homo* in cute, tanquam in loco suo. *Fr. Toletus* (6l) & *Jul. Pacius* (6m) hanc mentem adscribunt *Themistio*. Expressè autem sic statuisse *Gilb. Porretanum* ex *Alberto M.* refert *Ben. Pererius* (6n).

§. XVIII. *Tertia* eaq.ve ultima classis illorum est, qui *LOCUM* per concavam corporis continentis superficiem describunt. Sicuti autem vulgò hæc mens attribuitur *Aristoteli*, ita nec vulgò in mente *Aristotelis* conveniunt *Aristotelici*. Alii enim ad præteritæ *Aristotelis* per *Superficiem*; Alii per *Terminum*; Alii unum per alteram explicant.

§. XIX. Inter primæ generis *Superficiarios* collocamus merito perosque *Aristotelis* Commentatores & Interpretes Latinos: *Complutenses* (6o) & *Conymbricenses* (6p). Horum vestigia legunt

(6) *Instit. Metaph.* p. 1841 (6b) *Comment. in Metaphys.* Tom. II. l. V. c. XIII. qu. 7. s. i. p. 703. (6i) *Coll. phys. Lec.* (6k) l. c. p. 120 (6l) l. c. (6m) *Comment. ad 1b.* 46. (6n) in *de Comm. Rev. princ. lib. XI.* p. 627. (6o) *Disp. XIX.* qu. 2. (6p) *lib. IV. c. V. q. 1.* p. 30.

gunt *Hurradus de Mendoza* (6q) *Jacobus Zabarella* (6r) *Phil. Melanchthon* (6s) *Joh. Poncius* (6t) *Wilhelmus Chabronus* (6u) *Jacob Martini* (6vv) *Fabianus Hippus* (6x) *Joh. Magirus* (6y) *Gilbertus Jachens* (6z) *Casp. Bartholini* (7a) *Georg. Gutkuis* (7b) *Arniseus* (7c) *Georg. Lieblerus* (7d) *Bruno Seidelius* (7e) *Andr. Casalpinius* (7f) *Samuel de Lublino* (7g) *Armandus de Bello Visu* (7h) *Philippus à S. Trinit.* (7i) *Martinus Schookius* (7k) *Joh. Zeisoldus* (7l) *Andr. Reyberus* (7m). *Joh. Seierius. Systema Ernest. Logic. & Phys.* (7)

§. XX. Sed qui Locum pro termino atque limite ambien-  
tis habent, sunt *Joh. Magirus* (7n) *B. Balch. Cellarius* (7o) &  
*Excell. Dn. J. A. Schmidius* (7p) *Prof. Jenens. Inclytus*. Ne-  
que ab hac sententiâ multum abluere videtur *B. Scherzerus*,  
(7q) cui *Locus est capacitas, quam extensio corporis naturalis re-*  
*quirat excluso aere quidem, sed habito tamen respectu ad illum vel*  
*simile ratione ambitus*. Sic fingi jubet circulum O, cujus periphe-  
*ria presentet aerem locantem, area autem alba corpus locatum.*  
Nunc dicit, quod *locus hujus locati incipiat, ubi albedo incipit,*  
*& nigredo desinit, ita ut nulla nigredinis s. aeris superficies ad lo-*  
*cum pertineat, sed sit potius limes, quousque pertingat locus.* Unde  
*Aristotelis extremam corporis continentis superficiem pro limi-*  
te

(6q) in *Curs. Philos. Disp. Phys. 14. sect. 5. seqq.* (6r) in  
*de Reb. natural. lib. 1. c. XX. p. 55.* (6s) in *Init. doct. Phys. lib.*  
*2. p. 313.* (6t) in *Curs. Philos. Disp. Phys. XV. q. 1.* (6u) in  
*Curs. Phil. Tom. II. p. 284.* (6vv) *lib. 1. de Loc. & Locato c. 17. seqq.*  
(6x) *Probl. Phys. XVIII. p. 125. seqq.* (6y) *Physiol. Peripat. lib.*  
*1. c. II. c. comm. ad lit. E. p. 89. ubi Aristot. pressè sequitur, ut ea-*  
*men pro se Terminum amet.* (6z) *Instit. Phys. lib. IV. c. IV. p.*  
*74. 75.* (7a) in *Comment. ad Locum p. 90.* (7b) *Contempl.*  
*Phys. Gen. VII. lib. XII.* (7c) in *Epit. Phys. p. 145. seqq.* (7d)  
in *Epit. Phil. nat. p. 84.* (7e) *lib. 1. Phys. p. 109.* (7f) *lib. III.*  
*qv. Perip s. 2.* (7g) *Comm. ad lib. Phys. p. 227.* (7h) *Explicat.*  
*term. Tract. II. c. 58 p. 121.* (7i) in *l. II. D. Thome qv. 29. Art. 2.*  
(7k) *Disp. Phys. VII.* (7l) *Instit. Phys. lib. 1. sect. 3. c. 1. Medit.*  
*ad Synops. Sperling. p. 312. seqq.* (7m) *Marg. Philos. Synops. phys. lib. 80.*  
*p. 96.* (7) in *LL. de Loco.* (7n) *l. c. c. II. lib. 10. p. 85.* (7o) *Tabell.*  
*phys. Tab. IV. 3. de Loco.* (7p) *Thes. ad Miscell. Phys. annex. p. 8.* (7q)  
*Breviar. Eustach. Quest. Phys. XLII. pag. m. 326.*

te & mensura loci habet. Sed ad quod genus entium hic abstractivus, respectivus & imaginarius limes collimet, ignoro; hoc tamen scio non esse *Physici* abstrahere & collineare *Mathematico*.

§. XXI. Denique inter illos, qui superficiem per Terminum explicant, præcipui sunt: Ben Pererius (7r), hic enim explicaturus, quomodo superficies Loci locatum æquale æqualiter contineat & dicit, quod Locus non per se contineat, sed prout sit terminus corporis continentis. B. Job. Seharffius (7s) Locum & Superficiem Aristotelis explanaturus ait LOCUM esse terminum comprehensivum rei circumscriptæ, quo corpus aliud tanquam à circumstante continetur, circumscribitur & ambitur.

§. XXII. Antequam hinc discedamus, intermittere non potui, quin in scenam producerem illos, qui Loci naturam nec in solâ superficie, nec in solo spatio sitam dixerunt. Inter quos ultimus haut est Fr. Toletus (7t), qui, postquam Superficiem non superficialiter exposuerat, tandem fatetur: Spatium Philoponi non esse omninò improbable. Similiter Antonius Ruviø (7u) testatur impossibile esse in sola superficie rationem Loci consistere & Locum esse immobilem. Huc respicit Menoza (7v) Superficie fundamentum detegendo labefacturus, quando scribit de Superficie nullam haberi probationem præter auctoritatem Aristotelis. Ita quoque Cartesius & Keckermannus totius LOCI naturam integram solo absolvi Spatio prædubitarunt negaruntque, quapropter prius distinguere quam describere LOCUM (quamvis impari sensu) susceperunt. Etiam si nos neque ab Horum neque ab Illorum parte & thesi stare cuilibet perspicaci perspicuum sit; In hypothesis tamen concedimus Loci essentiam aut existentiam neque à solo spatio neque à sola superficie dependere formaliter & præcisè, sed utriusque amicam heic efflagitari harmoniam & sororium nexum. Ideò LOCUS nobis dicitur SPATIOSUS respectu diastimæ & spatii, quod corpus locatum requirit & occupat; AMBITUS autem vocatur respectu extremi termini, qui à superficie ambientis locato quam proximè imminet, idque primariò circumscribit, de-

in-  
(7r) c. l. pag. 604. (7s) Compend. Phys. Aristot. part. Gen. lib. II. c. IV. p. m. 179. (7t) l. c. q. 7. p. 121. q. 8. p. 122. (7u) Comment. ad lib. IV. Phys. c. 4. f. 41. q. 3. p. 341. (7v) in Curs. Philos. Disp. Phys. XIV. sect. V.

inde permeat & intus, sed per aliud nempe qualitates elementares, afficit.

§. XXIII. LOCUS autem sic conceptus ac descriptus non illicò cum Keckermanno (7x) dicendus est ens concretum & aggregatum; sic enim foret ens per accidens & non ἀνεπίθετον in nullo predicamento; Sed manet omninò, quod est, ens absolutum. Ut ut verò LOCUS sub diversis rationibus ad diversa reduci possit per predicamenta, (7y) sc. Quantitatis, Relationis, Ubi, Situs, Habitus; tamen ad predicamentum QUANTITATIS (sc. continuæ & permanentis) non ut species, nec ut proprietas, sed ut effectus formalis tantò refertur æquius, quantò illud est convenientius. Quantitas enim ex præcepto (7z) Profundissimi nostri WALTERI est accidens, quo substantia est extensa; extensio autem requirit partes extra partes ratione spatii locabiles, quæ actu formali locatæ ex se pariunt LOCUM, qui inde B. THOMASIO. (†) definitur mensura corp. nat. externa, quantitatem ejus continuâ adæquatè circumscribens. Deinde LOCO ad amussim congruit illud Quantitatis παρακολλήθυνα, quo quid à quantitate æquale vel inæquale dicitur. Locus enim locato semper debet esse æqualis. Cætera predicamenta Locum non æquè facillè & concinnè amplectuntur, quoniam Locus neque in respectu unius ad alterum ut purè-terminum, neque in relatione locati ad locum sive ubicatione, neque in dispositione partium ad se invicem extrinseca, neque in habitudine substantiæ corporeæ ad aliud corpus adjacens & vestiens formaliter & adæquatè consistit.

Positio V.

*Multis & diversis modis aliquid in LOCO esse dicitur.*

Expositio.

§. I. Quamvis hæc formula: *Esse in LOCO*; non multum differre videatur ab illa: *esse in ubi*; distant tamen ut angustius atque latius; ut excessum atque excedens. Nam in loco

D

esse

(7x) quem idcirco notat B. Georg. Guetius in *Contempl. Phys. VII. de Locab. & Loc. lib. IV.* (7y) *Conf. B. Sperlingium in Exercit. Phys. lib. II. Exercit. V. propos. III. p. 226. seqq.* (7z) *Colleg. Log. MSC. part. I. c. VIII. præc. II. Add. Can. III.* (†) *Phys. c. VIII. q. 50. p. 36.*

esse soli corpori naturali competit, quod *more suo*, h. e. accuratissimè observavit *Lumen illud atque Decus Lipstense* Dn. D. VAL. ALBERTI (8a). Sed in ubi esse fimbrias accepit latiores, ut non tantùm substantias creatas materiales, sed & immateriales, imò ipsum DEUM sub se completatur. Sicuti autem DEUS per essentiam nec in loco, neque alicubi, neque in ubi predicamentali latitat, sed per ubi quivitatem interminabilem omnia replet, ita Angelus & Anima rationalis nec in loco, nec ubique, sed alicubi & in ubi predicamentali definitivo ratione subjicibilitatis & prædicabilitatis designantur. Corpus Physicum verò nec alicubi, nec ubique, sed in loco & ubi predicamentali circumscriptivo primò & propriè collocatur.

§. II. Quod si autem formulæ: esse in loco; rigor ille physicus in nonnullis exemplis paululum adimatur & remittatur; deprehendes aliquid in loco fermè sex modis: I.) κατ' ἐνέργειαν sive actum, quo res corporeæ ab aliò corpore formalissimè circumscribuntur, ut Sol ab æthere, volucris ab aere, piscis ab aqua, lapis à terra. II.) κατὰ δύναμιν sive potentiam, quatenus corpora naturalia actu quidem extenduntur, non autem actu circumscribuntur neque sic plenissimè & formalissimè locantur; utut aptitudinem naturalem circumscriptionis admittendæ vi expansionis suæ habeant, v.g. ultima superficies convexa cæli. &c. III.) κατ' αὐτὸν sive per se, quæ ab aliò corpore divisa pro sua completâ essentiâ in loco proprio sunt, ut Homo in aere. IV.) κατ' ἄλλο καὶ συµβεβηκὸς sive per aliud & per accidens, quæ à corpore continente non sunt divisa, sed vel partis in toto, vel accidentis in subjecto coexistentiam arguunt; sic cor est in homine, albedo in pariete &c. V.) κατὰ συγκατάβασιν, quando Deus se ἀνθρώποις certo in loco Hominibus manifestavit, cumque ipsis locutus est. VI.) κατὰ κατάχρησιν, quando Angeli dicuntur Scaligero (8b) esse in loco æquivocè, atque etiam plus quam æquivocè, uti Ipse se explicat.

§. III. Vix igitur, aut ne vix quidem Illorum determinationes locales perstabunt, qui cum Henr. Ludov. Castaneo, (8c) Episcopo Pictaviensi aliquid in LOCO esse dicunt (1) commensurativè,

(8a) *Disp. Pneumatol. de Ubi Angel. definitivo c. I. §. 3.*

(8b) *Exercit. 359. f. 5. (8c) Celebr. Distin. Phil. & Theol. p. m. 55.*

*rativè, ut corpus, (2) definitive, ut Angelum. (3) Repletive, ut Deum. Nam ad constructionem bonæ distinctionis qq. requiritur, ut distinctum sit terminis distincti communicabile; & termini distinctionis vicissim distincto adequatè respondeant, quod heic impossibile, quia implicat Substantias immateriales esse in Loco, aut Locum dicere repletivum. Neque Conrad. Vorstius (8d) hîc admittendus, qui DE O Localem presentiam eamq; repletivam & substantialem tribuere non erubuit, quem solidè & distinctissimè confutavit Prora & Puppis nostræ Academia sinceræque Ecclesiæ DN. D. JOHANNES DEUTSCHMANNUS, (8e) Patronus atque Hospes meus Presentissimus ac Beneficentissimus. Malè quoq; Francisc. Svarietzius, (8f) Gregorius de Valentia (8g) Mendoza (8h) & Becanus (8i) contendunt corpus & sanguinem Christi in S. Cœna esse definitivè. Pejus Thomas (8k) autumat illud adesse circumscriptivè, *est* supernaliter; Pessimè Castaneus (8l) docet Corpus Christi esse in Sacramento Eucharistiæ tanquam in Loco, *sed* sacramentaliter. Hic namq; Presentia Eucharistica modus renuit & longissimè superat vulgares illas *Physici Locî* angustias & *metaphysicæ ubietatis* species, quia divino, mystico, supernaturali, sacramentali & abstrusiori modo adest, quem neque mens nostra heic penetrare, neque ratio ulla specialis & genuina explicare valet. De quo mysterii modo videantur Nostrates Venerandi DNN. Theologi uberius. (8m) Denuò Castaneus (8n) notari meretur, qui ex D. Thoma & Gabr. Biel probare suscipit Angelos secundum operationem seu virtutem aut contactum virtutis in LOCO esse. Sic & Animam Humanam ut formam corporis in Loco corporis detinet Idem. Similis sententiæ est Timplerus (8o), qui Animam Rat. in corpore organico tanquam locatum in loco esse tinnit. Sed uterq; horum substantiæ immate-*

D 2

rialis

(8d) lib. de Deo & Attrib. Div. p. 235. & 239. (8e) Theol. Posit. Polem. Tr. II. Disp. III. Tb. XIII. p. 47. (8f) Disp. 51. Met. f. 6. §. 6. (8g) Tom. IV. Disp. VI. q. 3. punct. 1. §. 21 (8h) Disp. 14. Phys. §. 39. (8i) Theol. Schol. Tract. 2. c. 17. q. 2. (8k) part. III. q. 76. art. 5. Cui subscribit B. Scheiblerus lib. Metaph. c. 17. §. 60. seq. (8l) l. c. p. 56. (8m) Vid. omninò Dn. D. Georg. Mejerum in Regina Ministra. p. 122. (8n) l. c. (8o) lib. 1. Empsylog. c. 1. probl. II.



rials & materialis naturam & affectiones, ubi etatis & Locabilicatis definitiones aut proterve confundit, aut malè ignorat. Accedit, quod contra *Timpleri* tinnitum tinent *Ipsius Fratres Zanchius* (8p) atque *Keckermannus*. (8q)

§. IV. *Finis* autem, cujus gratiâ solum *Corpus naturale* in *Loco* esse debuit, hic est; *Quia natura* voluit, ut quodvis *naturale corpus* in certo quodam loco quiesceret, ab eodem in suo esse, quousque liceret, conservaretur, & ab externis injuriis visum maneret.

Positio VI.

**LOCUS** distinguitur (I) in *Communissimum*, *Communem* & *Proprium*. (II) in *Naturalem* & *Violentum*. (III) in *Materialem* & *Formalem*. (IV) in *Efficientem* & *Finalem*. (V) in *Locum actu primo*, *secundo* & *tertio talem*. (VI) in *Mobilem* ut: *vas*; & *Immobilem*. (VII) in *Totalem* sive *adæquatam*, & *Partialem* sive *inadæquatam* e.g. *arboris* in *aquâ* & *terâ* simul *stantis*.

Expositio.

§. I. Sunt hæc distinctiones mollioris brachii & *εωλδ.* tales vel totius in partes, vel analogi in sua analogata, vel effectus in causas, vel æquivoci in sua æquivocata. &c.

§. II. *Locus communissimus* est, qui continet omnia corpora sublunaria, ut *concauum Lunæ*. *Communis* est, qui multa distincta simul continet corpora; sic *contubernium* & *convivitorium* sunt *locus communis* eorum, qui simul student & cibant. *Aqua* est *locus communis* tot diversorum piscium. *Locus proprius* (aliàs *locus originis*) est, qui nihil aliud immediate continet, quàm unum corpus, cujus est *Locus*.

§. III. *Locus Naturalis* est, ad quem corpus naturâ suâ fertur, inq; eo quiescit ac conservatur; Sic *graviorum* *locus* deorsum, *levium* sursum est. *Locus Violentus* est, in quem corpus vi detruditur, & ubi nec quiescit, neque conservatur; sic *gravia* pelluntur sursum, *levia* deorsum truduntur.

§. IV. *Locus materialis* est totum corpus, quod ambit & continet locatum; sic *caelum* dicitur *locus elementorum*. *Locus Formalis* (non formaliter talis), est nudus merusq; terminus, quo corpus locans ambit locatum.

§. V.  
(8p) *Part. III. de Op. VI. diæ. c. 6. q. 5. lb. 2. p. 791.* (8q) *lib. 3. Syst. Phys. c. 9. lb. 1. p. 244.*

§. V. *Locus Efficiens* est terminus ambiens, certâ qualitate conservativa præditus, per quam locatum capax in illo loco durat. *Locus Finalis* (non *Loci finis*) ille est, propter & circa quem alia naturalia dicuntur locari, ut centrum mundi.

§. VI. *Locus in actu primo* (sive ante locationem) est intervallum sine corpore positivo interjacente aut mente conceptum, aut per virtutem divinam distentum & conservatum. *Locus in actu secundo* (sive in locatione) est ambitus ille spatiosus, qui neque per fictionem mentis, neque per potentiam Dei, neque per naturam sine locato esse potest. *Locus in actu tertio* (sive post locationem) est certum aliquod UBI, in quo fuit locatum. Sic fuit manus in marsupio, quæ nunc pecuniam in mensâ numerat. Reliquæ distinctiones jam in terminis liquent.

§. VII. Ex adverso non æquè benè *Keckermannus* locationem internam & externam; *Locum internum* & *externum*, constituit, quasi illa & ille de οὐρανῶν partium corporis naturalis ad se invicem determinatâ; hæc & hic de οὐρανῶν ad corpus contiguum applicatâ valeret. Neque *Cartesius* tempestivè distinguit *Locum internum* sive spatium ab *externo* sive superficie ambiente. Neque *Castaneus* accuratè *Locum externum* (quem aliàs vocat *physicum* & *quæ*) sive superficiem immobilem affectam quibusdam qualitatibus ad tuenda sua corpora idoneis semovet à loco interno seu ubi & modo corporis in loco constituti. Hi enim *Auctores* vel confundunt *locum ad mundum* cum *loco ad sensum*, nec definiunt *locum ad mentem*, quod tamen intenderant; vel confundunt *locum* cum prædicamento situs & ubi; vel sic dividunt *Locum*, ac si ego vellem *Hominem* propter corpus & animam dividere in *Hominem* corporeum & animatū.

§. VIII. Rursum *Castaneus* & *B. Job. Sierius* (8r) incongruè docent aliquid esse in loco vel *circumscriptivè* ut corpora; vel *definitivè*, ut *Angeli*; vel *repletivè*, ut *Deus*; quia sic membra divisa ipso dividente sunt latiora.

§. IX. Similiter *Clem. Timplerus* (8r) miserè & monstruosè divellit *Locum* (-) in *Realem*, quem cuiusvis naturali locato extra mentis nostræ cogitationem reverà tribuit; & *Imaginariū*, quem *entis* rationis, Deo ante & extra *Mundum*, Ipsique

D 3

Uni-

(8r) *Præcept. Phys. Tr. II. part. Gen. c. VI. q. V. R. 3. p. 10.*  
Quod etiam facere videtur *B. Jac. Thomæus* *Physica* sua c. VIII. q. 8.  
(8r) *lib. II. Metaph. c. V. q. 8.*

*Universo affingit. Sed pari jure distingvo Intellectum Timpleri in Realem, qui Ipsi ut vero Philosopho; & Imaginarium, qui Ipsi ceu Phantastæ competit. Deinceps ens rationis non est in loco; sed in intellectu humano; Deus non est in spatio, sed in se ipso; Mundus non est in nihilo, sed in mundo. (II) Substantialem & Accidentalem, quasi accidens esset in subiecto, tanquam in loco. Nugæ! Nam hoc pacto qq. Timplerus dividendus esset in Timplerum substantialem & accidentalem, ille esset in loco substanciali, hic in accidentali, eoque sic naturaliter existeret in duobus locis, quod absurdum! (III) Subdividit Locum substantialem in Spiritualem sive hyperphysicum, & corporalem sive physicum. Quæ distinctio si intelligeretur de UBI, vera esset; sed quia applicatur ad Locum, sine contradictione stare nequit. (8u)*

*Positio VII.*

*Conditiones Loci sunt vel Primariæ; vel Secundariæ. ILLÆ sunt, quæ proprio Loco primò & immediatè conveniunt, ut: (1) continere & ambire undique locatum, nec tamen esse de essentia locali. (2) Locum re locata neque minorem, neque majorem esse. (3) Locum esse immobilem. HÆ sunt, quæ Loco proprio deinceps & per aliud competunt, ut: (1) conservare & perficere locatum. (2) ad se trahere locatum. (3) dare unitatem & distinctionem motui locali (4) esse ab hoc vel illo locato separabilem, non tamen omni planè locato carere. (5) singula corpora secundum eorum naturam ferri & manere in propriis locis. (6) In omni loco esse suprâ & infrâ.*

*Expositio.*

*§. I. Hæc sunt illa requisita & officia Loci quæ B. Sperlingius (8w) Conditiones; Ben. Pererius (8x) Proprietates; B. Thomasius (8) Canones B. Stierius (8y) Theoremata Loci appellarunt. Plato (8z) Aristotelis in Lyceo proximus Antecessor & ferme per XX. annos infelix Præceptor constituit septem; Aristoteles (9a) ipse, prout intel-*

*(8u) V. B. Georg. Gutkium l. c. rb. XIX. (8w) Synops. Phys. p. 88. Exercit. V p. 219. (8x) l. c. p. 603. (8) Phys. p. 41. (8y) l. c. p. 10. not. IV. (8z) in Parmenide & Timeo (9a) lib. IV. c. VI. t. 30.*

tellectus fuerit, nunc tredecim, nunc decem, nunc sex *Locis* requisita fecit. Nos nolumus anxie numerare, sed ponderare illa.

§. II. *LOCUS* debet locatum continere & circumscribere, quod mutus ille & immediatus respectus loci ad locatum arguit; Non vero *Locus* idcirco est ipsum continens, sed terminus continentis; neque est aliquid locato essentialiter intrinsicum, sed extrinsecum, quod migratio corporum de Loco in locum probat. Deinde *LOCUS* debet locato esse equalis. Nam si major; non per se, sed per aliud medium locus esset; si minor; non contineret totum locatum; Ergo equalis: quia terminus continentis & contenti corporis sunt simul, & locus est mensura locati. Denique *LOCUS* esto immobilis, quia ordo universi est immobilis, & corporum latio requirit mutationem loci, si enim locus moveretur ad motum corporis locati, corpus non mutaret locum, dum mutat, quod ἀλογον! Tò immobile autem heic opponitur motui locali, non enim immobilitas absoluta ad locum requiritur, sed ea tantum, quæ prohibet moveri locum cum locato. Neque immobile tribuitur omni loco equaliter, sed uni magis, alteri minus.

§. III. Præterea *LOCUS* habet vim generandi, conservandi & perficiendi id, cuius est *Locus*. Hoc probat experientia in mistis, naturalis inclinatio in simplicibus, & similitudo in humano corpore; membra enim nec perficiuntur, c. conservantur nisi unumquodque suum locum obtineat. Conservatur autem Locatum à Loco; tum quia locus est locato perquam similis, tum quia virtus cœlestis per locum facilius feliciusque transfunditur ad locatum. Porro *Locus* ad se trahit locatum, non per appulsus proprium, neque per qualitatem magneticam, sed per appetitum naturalem & motionem metaphoricam, quam desiderata perfectio & finis rei naturalis expetit. De hinc *LOCUS* dat unitatem & distinctionem motui locali, quia unitas & distinctio cujuslibet motus denominatur à termino ad quem, in quo tanquam in loco res mota existit. Neque motus localis aut corpus grave & leve sine mentione loci aut differentie localis defini possunt. Præterea *Locus* dicitur à locato: non omni sed hoc vel illo, aut singulari mixto corpore; separabilis, non actu separatus; nisi *Locus* materialis, μνημονικός & post locationem talis. Qualem for-

fortassis indigitavit *Psellus* (9b), quando scribit: *Locum* (sub-  
intelligo: materialem) nec interire, nec aboleri, quamvis res, quae  
in ipso sunt, aboleantur. Sicuti v. g. vinum ex canthario, utpote  
loco suo, evacuatur quidem, ut tamen remaneat vini locus non forma-  
liter, sed materialiter idem, nempe cantharus. Ad haec omne  
corpus naturam ad locum suae naturae accommodatum fertur, in quo  
eo quiescit, quod per naturae intentionem & loci finem salvo  
motu suo quiescit & efflagitat. Postremo quoque *Authores* ex  
*Aristotele* allegant omnem locum (ἐξαι) habere (non esse, ut non-  
nulli exponunt) superum & inferum. Quod *Simplicius*, *Themis-  
tius* & *Philoponus* non in omnem locum quadrare censent, quia  
Ipsis impossibile videtur in eundem opposita concurrere. Hinc  
*Aristotelis* (9d) explicant per hanc (aut); ac si hoc ipso divisisset *Lo-  
cum* naturalem in superum (sc. levium) & inferum (sc. gravium).  
*Vicomercatus* (9c) & *Alii* id de omni loco dictum esse volunt, quod  
sit superus & inferus non ratione naturalis nisus, sed status, si-  
cuti hominis locus superus est, quo caelum respicit; inferus, quo  
terram tangit. Quae namque sententia *Aristotelis* sententiae magis  
arrideat, *Aliis* dijudicandum relinquo.

Positio VIII.

*Positionum localium differentiae sex constitui  
solent, scilicet: Ante, post. Sursum, deorsum. Dextrorsum  
Sinistrorsum.*

Expositio.

§. I. Non est, quod existimes, quasi *HÆC* ratione tan-  
tum distinguantur, reipsa autem non sint distincta, hac ratione  
seductus: Quia saepissime id, quod est sinistrum, fit dextrum; quod  
antè, fit retrò; imò quod sursum, fit deorsum, prout se quisque  
converterit, scandula enim, inquit *Themistius*, (9d) & imbrica-  
menta adium, modò nobis medicinalio impluvii agentibus superna  
sunt, commodum ascendensibus rectum, sicut inferna; & columna,  
qua nunc est à dextera, si me convertero, puncto fiet à sinistra. Absit!  
Potius in ipso universo per naturam singula sunt juxta positio-  
num

(9b) lib. IV. Phys. quem laudat B. Dan. Sennertus l. c. pag. 99.  
(9c) Comment. in lib. IV. c. VI. s. 30. Aristot. (9d) Paraphr. in  
lib. IV. Phys. c. VII. s. 48.

num differentias reverà definita & distincta, non enim quodvis est superum, inquit Aristoteles (9e), sed quò fertur ignis & corpus leve; itidemque non quodvis est infernum, sed quò feruntur, quæ habent pondus & terrestria, quasi hæc non tantum positione differant, sed facultate. Idem alibi (9f) docet dextrum id esse, unde principium motus est; hinc facile reliquas Loci differentias in Mundo à naturâ positas reperies, videlicet Ortus dextrum, Occasus sinistrum, Septentrio faciem, Meridies dorsum, Zenith verticem, Nadie pedes cinget atque teget. Cum his congruunt, quæ Themistius (9g) hac de re eleganter differit: neque credat, inquit, quispiam hujusmodi locorum discrimina varietatesq; ex nostra tantum institutione creari, pendereq; aded, sed ab ipsa planè naturâ inventas, collocatas & affirmatas sciat. Quid? quod natura in ipsis animalibus hoc tam accuratè observet, ut partibus singulis certum assignet locum & situm, huic dextrum, illi sinistrum, isti superiorem, alteri inferiorem; hanc retrò, aliam antè collocet. Si autem in quibusdam individuis earundem transpositio eveniat, illa pro monstris habentur. Ut vel hinc certum sit has loci species non in ratione, sed ipsâ re & naturâ fundamentum habere.

§. II. Locus verò sursum divinius est Loco deorsum; & ille, qui antè est, æstimatur perfectior eo, qui post est; itemque ille, qui dextrum respicit, apud moratiores gentes honoratior habetur eo, qui sinistrum latus claudit. Quomodo heic Politici Simii Naturæ statum in suis statibus æmulentur, meum nunc non est judicare.

Positio IX.

**LOCO** contradictoriè opponitur **VACUUM**, quod ambitur corpore, nullo autem corpore aut materiâ impletur, impleri tamen potest.

X3. und

Expositio.

§. I. Non est inane Philosophum Naturalem post **LOCUM** de **INANI** cogitasse. Tantam enim inter se habent **Locus** & **Vacuum** affinitatem, ut **Veteres** hæc duo idem esse, ratione tantum differre existimaverint. Idem namque **Spatium**, quatenus plenum erat, **Locum** appellabant; quatenus verò **expers**

E cor-

(9e) lib. IV. Phys. c. II. t. 5. (9f) lib. II. de Cælo c. II. t. 15. (9g) l. c.



corporis, Vacuum. Esse autem hæc duo eadem tantum abest, ut potius *contradictoriè* sibi invicem opponantur, quia unum (sc. Locus) est alterius (sc. Vacui) simplex negatio.

§. II. Non autem heic intellectum aut indicatum volo cum *Rustico* vacuum *cantharum*, neque cum *paupere* vacuum *crumenam*, neque tum *Salomone* (9h) & *Persio* (9i) omnia *vana* & quantum *inane*; sed cum *Physicis* *Spatium* tale, quod *actu* nihil corporis continet, ab alio tamen corpore continetur. Sic si *Deus* hunc sublunarem mundum in nihilum redigeret, tunc remaneret *intervallum*, quod nihil contineret, à cælo tamen æthereo contineretur. Tale autem vel *minutissimum spatium* in ullo mundi angulo per *ordinariam potentiam* & naturæ vires dari & esse nequit. Quia *initio* videmus & experimur corpora densa *rareferi*, rara *densari*, levia *deorsum ferri*, & gravia *sursum* in sublime *rapi*, & contraria ad tempus *amicitiam inire*, ne admittatur vacuum. Quæ *solertia natura* Vacuum fugientis, *Artificibus Mechanicis, Hydrostaticis, Pyrobolicis &c.* insignem dedit ansam ad varia admirabilium machinarum genera fabricanda. Deinde repugnat Vacuum non modò *Natura particulari*, in qua hoc pacto everteretur rerum naturalium *naturalis societas & sororius nexus*, quo mediante cælestium corporum influxus excipiunt & reddunt, seqve ab interitu vendicant; sed & *natura universali*, quia stante Vacuo solveretur *universi unitas*, quæ in unione & coherencia partium consistit; fieret qq. omnis motus in *uniformi spatio* & in *instanti*, quod ἀόριστον. Quocirca nihil non molitur *Natura*, ut Vacuum, ceu communem hostem fugiat. Consule pluribus *Aristotelem*, (9k) *Ipsi*usque *Commentatores*. B. *Job. Sperlingium* (9l). *Job. Magium* (9m). *Dn. D. Aug. Hauptmannum* (9n) *Gisb. ab Isendorn* (9o). B. *Thomasium* (9) Aliosque innumeros.

§. III. Cæterum *VACUI Fictores* triplex excogitarunt VACUUM: *Separatum, Disseminatum & Coacervatum.*

§. IV.

(9b) *Cohel. III. 19.* (9i) *Satyra I.* (9k) *lib. IV. Phys. c. VII. t. 69. 70.* (9l) *Medit. VII. Effat. II. p. 144. Eff. IV. p. 171.* (9m) *Phys. Peripat. lib. I. c. IX. p. 92.* (9n) *im Berg bedenken* p. 17. (9o) *in Medull. Phys. lib. I. p. 628. seq. (9) l. c. q. 91. p. 42.*

§. IV. *Separatum*, quod aliàs ἐξοχικῶς *Inane & Spatium imaginarium* dicunt, extra hunc mundum dari volunt, quod à nullo continetur corpore, nullumque prorsus continet, ut tamen *Deus* illic vel plures, vel alium, præter hunc, condere possit Mundum. Hoc *Spatium Casparo Wyssio* [\*] *Genevensi Philos.* æquè reale est atque illud, in quo jam est mundus.

§. V. *Disseminatum* dicunt, quod mundi corporibus interspersum est. Id declarant exemplo *arene*, vel clariùs, *acer-vi tritici*, cui manus immissa iterumque subducta fuit. *Veteres* hoc Vacuum dari gratis probarunt ex motu corporum locali, ex rarefactionibus, condensationibus, augmentationibus ac diminutionibus. Huc *Recentiores* trahunt experimenta desumpta ab *æolipila*, *elatore*, *sclopeto pneumatico*, *vase cineribus referto*, quod tantundem *aqvæ* insuper admittit, quantum cineris habet; nec non à vase *aqvâ pleno*, quod adhuc *catenulam auream* admittit nec abundat. Quibus superaddit *Gassendus* (9p) firmiora, ut putat, vacui disseminati exempla à vase *abeneo*, *aqvâ* opletto, benè obturato & postea tuso; ut & ab *aqvâ certam salis communis quantitatem solvente*, & prætereà alia salium chymicorum genera superinjecta admittente; nec non à *luce* aerem, *aqvâ* & vitrum pervadente, desumpta.

§. VI. *Coacervatum præter* (non secundum) naturam per vim corporibus factam constitui posse confidunt & satagunt. Quod duplici modo producere præsumunt, uno, ut momentaneum; altero, ut durable sit. Illud exhibent per *bombardam tormentariam*, dum globulus exit; hoc per *pilam vitream Heronis*. Huc *Recentiorum* machinamenta pertinent, utpote *Magdeburgica*, *Boylia* & *Torricelliana*.

§. VII. Sed *Aerometria* nondum satit cognita & exulta fallit *Hosce Vacui commixti & coacervativi Assertores*, ut fallantur Ipsi, dum fallunt *Alios*. Sicuti verò *Natura* propriè loquendo nec abhorret, nec fugit, nec metuit VACUUM, quia ubique sine consilio & proposito habet, ita quoque multos eosque stupendos edit effectus, non tam ne detur, quàm quia non datur

E 2

va-

[\*] in *Curs. Phil. Phys.* p. 384. (9p) *Animadv. in X. lib. Diog. Laert.* p. 170. & seqq. Quæ succinctè repetit *J. Bapt. du Hamel. Phys. Gen. Tr. I. Diss. II. cap. 2. unà cum responsis ad singula.* Quibuscum conferantur illa, quæ habet *Cartesius part. II. princip. n. V. X. seqq.*

vacuum; aut verius & specialius, quia aeris aut aquae aequaliter alias gravantium pondus aliquando quaedam corpora extra ordinem inaequaliter premit urgetve. Ut igitur Vacuistae suis experimentis potius evincant non dari in Naturâ vacuum, quàm ut vacuum dari demonstrent.

§. VIII. Inter solertissimos Vacui Scrutatores facile Princeps est Archytas Tarentinus, qui per compressionem aeris tam affabrè ex ligno compegit, libravit, inflavit columbam, ut naturalium instar ad volatum tolli videretur (99). Ad hujus exemplum Norimberga musca ferrea in convivio circumvolasse, Aquila Carolo V. ad quintum usque lapidem obviam ivisse dicitur Gassendo. Reticeo Epicureos vacui coacervati expressos Somniatores. Omitto Leucippum, Democritum Lucretiumque, quos contra Aristotelem atque Scaligerum à Vacui sensu defendit Multò Celeberrimus noster KIRCHMAJERUS (9r). Ad Recentiores propero, qui sunt: Bernhardinus Telesius, Censeretinae Italus (9s) Albertus Kyperus, Leidensis Medicus. (9t) Photylides (9u) Joh. Bapt. van Helmont. (9x) Redemptus Baranzanius (9y) Marinus Mersennus & Picquetus (9z) Valerianus Magnus, Monachus Capucinus Mediolanensis (10a) Rob. Boyleus, (10b) Anglus. Do. Otto de Gueriken, Magdeburgensium Consul Sen. (10c) Vacuum quod crepant aut praesupponunt Illi, qui artificium aeronauticum tutius demonstrandum, quàm probandum

dux.  
(99) Legi hanc in rem meretur Colendisimi mei J. A. Schmidii Diff. Historico-Mathem. de Archyta Tarent. cap. II. §. 5. seq. (9r) l. c. §. X. XI. (9s) lib. 1. de rer. nat. c. 25. (9t) Tom. 1. Inst. Phys. c. 12 §. 5. p. 307. (9u) in Physica Veteri-Nova c. XI. p. 27. (9x) in Ort. Med. p. 67. n. 5. 6. 7. (9y) Auscult. Disp. VIII. q. 6. dub. 1. 2. Conf. Arnoldi. Sengverdiurn Biblioth. Amstelod. lib. 1. Introd. ad Phys. c. 7. p. 89. (9z) De quibus illud testatum reliquit Mart. Schookius Prof. Gröning. Disp. VIII. p. 196. (10a) In Tract. Coloniae 1652. edito, qui inscriptus est, Demonstratio ocularis, Loci sine locato. (10b) de Vi Elastica Aeris Experim. 36. seqq. (10c) in lib. de Vacuo. Cujus sententiam & instrumenta adduxit Gasp. Schottus in Mechanicâ suâ Hydraulicâ & Pneumaticâ p. 445. Examinavit Hauptmannus l. c. à p. 22. ad 39.

dixerunt, ut P. Lana. (10d) Excell. Dn. Sturmii  
(10e) & B. Philipp. Lohmejerus (10f)

LOCULI NONNULLA DE LOCO RESIDUA DUBIA EXPONIT.

Quaestio I.

*Utrum Locus in actu secundo talis sit corporis naturalis proprium in quarto modo, an inseparabile accidens?*

§. I. Ex dictis primùm suppono differre Locum & Locabilitatem, ut actum & potentiam. Deinde ex Logicis repeto, quod Proprium cum subjecto suo retrocurrat; Accidens non item. Proprium ex ipsa rei naturâ & ex principiis speciei essentialibus promanat; Accidens verò ex principiis individuantibus resultat. Proprium primariò competit speciei, & secundariò individuo; Accidens autem primò competit individuo, per ea speciei. Proprium consequitur naturam subjecti necessariò; Accidens verò contingenter. Præterea quaestio non est de proprio quovis, sed quarti modi, quod uni, soli, semper competit. Nec sermo est de Accidente quovis, sed inseparabili, cujus abstractum vel plane non vel saltem difficulter à subjecto separari potest. Denique respiciendum hîc est primò ad locans, secundò ad locatum corpus.

§. II. Dicimus igitur (i) Locum in actu secundo constitutum esse hujus corporis locantis & locati separabile accidens, quia (a) accidentia de actu valent. (β) Locus in se utriusque subjecto locanti & locato sine interitu adest. (γ) Locus ab his subjectis reapse abesse potest, nam quando locatum movetur, tunc coincidit ambitus. Dicimus (II.) Locum actualem non directè & per se ad affectiones corporum naturalium rigorosè acceptas pertinere, sed indirectè, reductivè & propter Locabilitatem; quia (a) omne quod actu est, eo ipso, quia est, singulare est, singularium verò nulla est scientia. (β) Quia Physicus abstrahit à materia sensibili singulari, cui talismodi Locus adhuc est immersus. (γ) Quia Locus in actu non omni corpori naturali formaliter competit, sed tantum partibus mundi, non ipsi mundo. Dicimus (III) Locum

E 3

primariò

(10d) nel prodromo premesso all' arte Maestra c. VI. per tot.  
(10e) in Colleg. eurios. Tentam. X. p. 56. (10f) Exercit.  
Phys. de Artificio navigandi per aerem in illustri Acad. Hasso-  
Schaumburgica (dum ibi profisteretur) habita 1676. d. 4. Mart.

113

Singul.

113



*primario convenire locanti, secundo rei locatae, quia (a) a potiori fit denominatio, (b) quia locus convenit locanti in recto, rei locatae in obliquo, [c] et locans indicat ambitum tanquam realem entitatem, et locatum vero arguit spatium ut debilem entitatem. Dicimus [IV] Locationem locabilem esse proprium intrinsecum, quod inest corpori locato ob internum quantitatis principium. Dicimus [V] Localitatem locabilem esse proprium extrinsecum, quod inest corpori locanti ob facilem suam digestionem & cessionem. Dicimus [VI] in quolibet corpore naturali esse actu vel Locum, vel locabilitatem, etsi enim in mera aqua actu non sit spatiosus ambitus, adest tamen actualis potentia ad spatiosum ambitum, quia alias enti in potentia non repugnat tribuere praedicata realia. Vide hanc in rem B. Jac. Martini (10 h) B. Georg. Gutkium (10 i) B. Scherzerum. [10 k] B. Joh. Scharffium [10 l] Celeberrimum Sturmium [10 m] Rev. Dn. M. Jac. Saurium [10 n].*

*Quaestio II.*

*Quis sit Locus primi & supremi caeli?*

*Magna est inter Philosophos disceptatio, utrum & quomodo ultimum caelum in loco esse dicatur, praesertim cum extremum a nullo alio corpore contineatur? Philoponus dicit primum caelum habere suum locum, i.e. partem quandam intervalli, sibi congruentem. Alexand. Aphrodisiensis ait caelum ultimum nullo modo esse in loco. Themistius statuit esse in loco ratione proximi orbis, quem juxta concavam superficiem suam tangit & ambit. Simplicius animi pendet. Avicenna caelo denegat Locum, motumque ipsius ad situm fieri opinatur. Gilb. Porretanus autumat caelum ultimum adhuc habere superficiem extimam & convexam sui orbis, a qua regitur & continetur. D. Thomas existimat extimam sphaeram esse in loco secundum partes*

*[10 b] lib. I. de Loco c. 20. p. 169. [10 i] l. saepius cit. th. III. [10 k] in Brev. Eust. Quaest. Phys. XLVI. p. m. 331. [10 l] Part. Phys. Gen. lib. II. c. IV. p. 178. [10 m] l. c. c. V. S. IX. p. 55. [10 n] Syntag. Log. L. I. sect. I. c. 4. th. III. p. 93. 94.*

tes internas & continuas, quas continet, & ex quibus componitur. Ben. Pererius (100) ex Alfarabio & Avempace statuit coelum ultimum pro loco habere centrum Terræ, illumque dicit corpori sphaerico & motui circulari esse congruum. Si ex meri spatii Defensoribus quaeris Locum ultimi caeli aut ipsius mundi, illi te ad spatium amandabunt. Sed in quo loco est hoc spatium & quodnam est hujus spatii spatium? nesciunt, quia nihil est. Sed Coelum ultimum vel plane non est in loco, ut relinquatur Venerandis Theologis instantia ad hanc Reformationum *ἡρώτων*: O. corpus esse in loco. Vel est in loco *κατὰ δύναμιν*, i. e. si non actu, tamen potentiâ. Vel est in loco diviniore, quem manus Dei dat atque concedit Mundo causaliter.

### Questio III.

## Quomodo Locus proprius respectu ambitus mobilis sit immobilis?

Immobilitas crux Superficiariorum est, quam Aristoteles non ad proprietates, ut Theophrastus & Eudemus, sed definitionem LOCI retulerat, *ὅτι τὴν διαφοράν τῆς τόπῃ πρὸς τὸ ἀγγεῖον ἀγαθώσε*, quia (opinante Simplicio) differentiam loci ad vas, h. e. locum mobilem; definitionem vero ad coelum sive locum immobilem tradidisse videtur. Sic vero Locus formaliter talis, & proprius est immobilis, ut, si pedem pedi praeponas, statim locum mutaveris. Sin autem te in calce pedis fixo tantum verteris, non praecise Locum, sed differentias LOCI mutasti. Quod si vero alicubi immoto pede & corpore consistas, ventusque ambitum aeris in singula momenta mutet, Tute non mutasti locum in uno eodemque loco, utut superficies primae tui corporis non semel mutata sit, sed mansisti in formali tua locatione semper, donec illum tuae quantitatis spatiosum ambitum, in quo praecise ratio loci ponitur, mutaveris; non secus atque cymba litori alligata, cui sublabuntur undae, & tamen manet in eodem loco. Haec vero immobilis Loci unitas atque identitas non dependet ab unitate

(100) in de Rer. Nat. Princ. lib. XI. c. IX pag. 630.

eate corporis ambientis, quippe quod in loco partiali & inad-  
quato, v. g. aqua & aere duplex fieri potest; sed ab *unitate corpo-*  
*ris locati*. Ipsa denique *Loci immobilitas* ex certo situ & distantia  
B. THOMASIO (10p) pendere videtur, quam ex mente D. Tho-  
ma & Seb. Bassonis sumendam ducit cum comparatione ad puncta  
mundi immobilia, qualia sunt axes polares &c.

Questio IV.

Utrum Deus quoque sit aut possit esse in va-  
cuo quodam?

Quemadmodum Deus ratione sua omnipresentia est in om-  
ni (etiam vilissimo) loco per impermixtam suam essentiam,  
ita ratione immensitatis est ubique. Queritur: Utrum etiam hoc  
ubique ad nihilum ante mundum vacuum in mundo (si daretur),  
& spatia imaginaria extra mundum, se extendat? Respondeo: Si  
illa vacua ad ubique referri & sub ubiquitatis conceptu contineri  
possunt, Deus verissime in illis est, quia ubique est, etiam illis  
in spatiis, inquit  $\delta\ \pi\acute{\alpha}\nu$  CALOVIUS (10q), quae extra mundum  
nobis imaginamur. Sin minus, tunc Deus in illis qq. non erit,  
quia Deus non est, ubi ubique non est. Interim, si dicendum  
quod res est, uti DEI existentiam neque mensurat Locus, neque  
determinat vacuum, ita absolute & omnium tutissime loquendo DE-  
US nec fuit in nihilo ante mundum, nec in vacuo disseminato, ne-  
que in spatiis imaginariis, sed in seipso. Hinc eleganter Augusti-  
nus (10r), antequam, inquit, faceret Deus sanctos, ubi habita-  
bat? In se habitabat DEUS, apud se habitabat, & apud se est  
DEUS. Quocirca DEUS ita existit ubique, ut sit in omnibus non  
inclusus, extra omnia non exclusus; Ipse Sibi & mundus, & locus  
& omnia. Ad his Tertullianum, (10s) Inestimabilem nostrum CA-  
LOVIUM. (10r) B. SCHERZERUM. (10v) B. Scharffium.  
(10vv) B. Scheiblerum (10x).

Quest.

(10p) Phys. pag. 39. (10q) Metaph. Div. part. gen.  
tract. post. d. 1. subj. 1. c. 8. pag. 378. (10r) t. VIII. in Ps. 122.  
(10s) lib. contr. Praxeam c. V. (10t) Syst. Theol. T. II. c. 8.  
q. 4. (10u) Syst. Theol. Loc. II. §. X. pag. 41. (10v) Coll.  
Anti-Calv. II. disp. 2. sb. 4. (10x) Op. Met. lib. 1. c. 17. n. 25.

Quaestio V.

An unum idemque corpus possit esse in duobus locis? Et An duo corpora possint esse in uno eodemque loco?

Neutrum quaesitum naturaliter fieri potest; illud enim indivisio corporis, locique unitas; hoc dimensionum penetratio prohibet. Attamen illud divinitus fieri posse Scriptura docet, v. g. corpus Christi esse in caelo & in terra, aliisque infinitis terrae locis simul, de quibus DNN. Theologi agunt. Hoc pariter absoluta Dei potentia ita moderatur, ut, cum respectu quantitatis duo sint Loci officia (1.) spatium implere, (2.) aliud quodcumque corpus repellere; Deus hoc munere quantitatem privet, ut aliud corpus supernaturale supernaturaliter admittat, e. g. Panis in S. caena corpus Christi. Quod vicissim Venerabiles Theologi accuratius docent.

Quaestio VI.

Utrum quoque in altera vita futurus sit locus Physicus?

Neg. (1) Ob corporum gloriosorum perfectionem, erimus enim ως ἄγγελοι non identitate ἰσότητας, sed similitudine ἀοχνημάτων, Angeli vero proprie non sunt in loco physico, quod nervosè dicitur CL. Dn. Job. Wolffg. JÆGERUS (105) Moral. Prof. Tübing. sed in ubi definitivo, quod & gloriose corporibus concedendum. (2) Ob caeli beatorum conditionem, hoc enim caelum potius connotat caelestem gloriam, quam creatum quoddam receptaculum & domicilium, ait B. Balbh. Meisnerus (101). Accedit, quod omnes caeli locales & Physici sint perituri; novi caeli autem in aeternum duraturi. (3) Ob Loci Definitionem, quae corporibus gloriosis nullo modo applicari potest. Fac per singula nostrae definitionis membra periculum, & videbis. Corpus enim gloriosum est indivisibile & spirituale, non sensibile, animale & corruptibile, unde ergo quantitas? unde spatiosus ambitus? Neque superficies ulla erit, quae illa ambiat; neque Corpora illa indigebunt conservatione perfectiva aut sustentativa à Loco, sed à manu Dei, in qua sunt.

Ar locy pte  
v. r. r. r.

(105) in Philos. Nat. p. 437. (101.) Phil. Sobr. l. c. qv. II. p. m. 745.

LOCULUS III. PARADOXA DE LOCO EFFATA  
APPONIT.

- I. De Loco disputare est *Physici*, ut tamen pro Loco disputare non sit *Physici*.
- II. Locus non est materia, neque forma, neque efficiens, neque finis, ut tamen rectè distingvatur in Locum materialem & formalem; Efficientem & finalem.
- III. Locus est corporis naturalis affectio ita, ut quoque non sit affectio.
- IV. Locus non est intervallum, & tamen sine intervallo Locus concipi nequit.
- V. Locus nullatenus est basis, & tamen pars aliqua Loci non potest non esse basis.
- VI. Locus non est extensiva situatio ad aliud corpus vicinum relata, & tamen ex situatione determinatur Locus.
- VII. Locus nunquam caret corpore, nec tamen est corpus.
- VIII. Quamvis quantitati nihil sit contrarium, Locus tamen Loco manet contrarius, etsi sit quantitatis effectus.
- IX. Tantus est locus, quantum corpus, ut tamen corpus sit in loco, nunquam locus in corpore.
- X. Elementorum locus non est linea, rectè tamen per lineas concipitur.
- XI. Non omne quod movetur in Loco, etiam movetur ad locum.
- XII. Deus non est in loco, & tamen est ubique.
- XIII. Deus nullo Loco est circumscriptus, rectè tamen DEO Scriptura S. tribuit Locum & Loci adverbia.
- XIV. Nemo Hominum vidit Hominem vel in Loco vel in corpore suo.
- XV. Homo nunquam est sine homine sibi quoad omnia *lineamenta & vestimenta* simillimo.
- XVI. Caput, Manus & pes non sunt in corpore tanquam in loco, sunt tamen cum corpore in loco.
- XVII. Copernicani moventur de loco in locum, etiamsi nolint moveri.
- XVIII. In Mundo datur Motus localis, nec tamen ipse Mundus movetur de loco in locum.

XIX. Rex Galliarum majorem terræ partem occupat mortuus,  
quàm vivus. O si occuparet!

XX. Verum est: Wir stehen länger / als wir sitzen / nec falsum  
est: Wir sitzen länger / als wir stehen. Ut tamen incertum  
maneat: Ob wir länger sitzen / als wir stehen.

XXI. Locus est Locati principium &

FINIS.

---

**D**octa ea materia est, quam tractas, docte  
BOETI!

Servet Te doctæ, Jova diu, Patriæ!

ABRAHAM CALOVIUS, D.

---

**E**st locus in mundo, quem Nos exposcimus omnes,  
Omne loco gaudet corpus in orbe suo.

Est etenim locus hic affectio corporis omnis,  
Hoc Opifex voluit primus in arte sua.

Dum bonus iste locus sic dicitur usque Creatis,  
Ut careant Mundi Conditæ nulla loco.

Hæc bene scrutaris, DOCTRINA CULTE BOETI,  
Perge, locus certus, Numine dante, venit:

In quo cum fructu possis servire JEHOVÆ.

Hoc Tibi det Dominus, quod mea vota volunt!

JOHANNES Deutschmann/D.

---

**D**E ratione loci cum docto differis ore,  
Atque tenes cathedræ, non sine laude, locum,  
Auguror, eveniet, revolutio ut tempore, primo  
Inter honoratos ritè locere loco.

THEODORUS DASSOVIUS, P.P.

Dum

**D**um versare *Loci* in doctrina, *Clare BOETII*,  
 Sat-celebri *Famae* vix *Locus* unus erit.  
 Namque *Tuum Nomen loca* multa replebit, *honoris*  
 Tendens ad summum *sedulitate locum*.  
 Expers ille *loci Dominus* Tibi destinet, *opto*,  
 Utile quod possis organon esse, *locum*.

*Sic vover ex animo Tuus Totus*

M. Johann. Paschius, Adj.

---

319	542	739	950	105	1	820	
<i>Domin. Jacobus Boëtius, Holsatus, O. A. Philosophia</i>							
	7	911	606	730			
	<i>ac Sacrosanctæ Theologiae Cultor.</i>						5740.

Per lusum *Cabbalæ triangularis artificialem*  
 emergit:

<b>G</b>	906	572	675	347	358	
<i>Ratulor incepto, Musis dilecte BOETII!</i>						2858
	222	500	961	510	373	316
<i>Sic cernit fructus Patria grata Tuos.</i>						2882
						5740

JOHANNES Dünnehaupt/Quedlinburg.  
 Saxo, P. L. C. Ph. & Theol. Stud.

---

**D**um *Natura LOCI* Tibi confirmatur, *AMICE*,  
 Constat, Te *Doctos* inter habere *LOCUM*.

*Sic Conterraneus Conterraneo prolixior*  
*affectu, quam versu applaudit*

*MATHIAS ZOEGA, Philos. Stud.*



Nov. 2000 <sup>8d.</sup>







28

OOOO

OO

*ltate Philosophica*

*UM suffragio*

*volè concesso*

OCALI DEO

licè differet

**S PASCHIUS**

GENSIS,

dente

**BOETIO,**

Hollato.

. S. M DC LXXXV.

io Majori.

of. Sobr. part. 1. sect. III. c. 1.

g. m. 654.

*catisimam & undiquaque*

*questionem, multisq; Philosophicis dif-*

*vera omninò à nobis laudetur, quin*

*in themate hoc acutius & accura-*

*sumpserunt &c.*

BERGÆ,

KELII, ACAD. TYPOGR.